
UNIVERSITY OF WISCONSIN - MADISON
LIBRARY



lalin

DE

JOSEPHO ISCANO, BELLI TROJANI

XII° POST CHRISTUM SÆCULO POETA

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A. SARRADIN
olim Scholæ Normalis alumnus.



VERSALIIS
EX TYPIS CERF ET FILII,
VIA DICTA DUPLESSIS, N° 59

1878

DE

JOSEPHO ISCANO, BELLI TROJANI

XII° POST CHRISTUM SÆCULO POETA

DE

JOSEPHO ISCANO, BELLI TROJANI

XII° POST CHRISTUM SÆCULO POETA

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A. SARRADIN

olim Scholæ Normalis alumnus.



VERSALIIS

EX TYPIS CERF ET FILII,

VIA DICTA DUPLESSIS, N° 59

—

1878

AMICO

LÉON BOUCHER

Apud Facultatem Litterarum Bisontinam professori.

DE

JOSEPHI ISCANI BELLO TROJANO

CAPUT I

PROŒMIUM DE JOSEPHO ISCANO.

Annis post Christum 1541 et 1558, Basileæ apud Helvetios, typis semel atque iterum mandati sunt libri VI *de Bello Trojano*, versibus hexametris conscripti. In utraque editione præferebatur nomen Cornelii Nepotis, cui assignabatur poetica ista « Daretis Phrygii [1], vetustissimi scriptoris de Bello Trojano, in quo ipse militavit, » translatio. Ita manibus suis

[1] Daretis Phrygii *de Bello Trojano* libri sex a Corn. Nepote heroico carmine donati. Basileæ, 1541, in-8°.
Daretis Phrygii, vetustissimi scriptoris, *de B. Trojano*, in quo ipse militavit, libri VI. a Corn, Nepote in latinum sermonem conversi. Adjunximus Pindari Thebani Iliados Homeri epitomen... Basileæ, 1558, in-8°.

typographi duplici laurea donabant Corn. Nepotem; quippe cui non satis esset prosa oratione Daretis compendium de Bello Trojano prosequi, nisi idem opus poeticis ornamentis decorasset. Minime hoc incredibile visum est et loci et temporis hominibus, qui æquo animo ferebant in eodem volumine pseudo-Nepoti sociam adjungi Homeri Iliados Epitomen a pseudo-Pindaro Thebano versibus contractam.

In eamdem veritatis incuriam delapsi sunt duo etiam posteriorum editionum auctores, donec, longo errori adversatus, genuino tandem scriptori totum opus restituit Samuel Dresemius[1], Francofurti, anno 1620, et, evicto Nepote, nominavit Josephum. Non desiit ex hoc tempore possessione frui qua tamdiu destitutus fuerat Josephus, nec poetam dedignata est Anna Daceria[2], quum inter collectos in usum Delphini latinitatis auctores, locum aliquem fabulosis celeberrimæ illius militiæ histo-

[1] Josephi Iscani, poetæ elegantissimi, *de B. Trojano* libri VI, hactenus Corn. Nepotis nomine aliquoties editi, nunc auctori restituti et notis explicati, quibus alii plurimi illustrantur, a Samuele Dresemio Dithmarso, Francofurti 1620, in-4°.

[2] Dictys cretensis et Dares Phrygius *de Bello et exscidio Trojæ*, in usum Serenissimi Delphini, cum interpretatione Annæ Daceriæ. Accedunt in hac nova editione notæ variorum integræ; nec non Josephus Iscanus cum notis Sam. Dresemii. Lut. Paris. 1680.

ricis Dictyi Cretensi et Dareti Phrygio tribueret, Lutetiæ Parisiorum, anno 1680. Placuit et Britannicis editoribus vates indigena, et adjunxerunt Dareti elegantissimum interpretem, Londini, anno 1675, J. Morus [1], et, in eadem civitate, anno sæculi hujusce nostri XXV, Valpy [2].

Qui tandem fuit et qualis, quo tempore vixit Josephus ille, quem Dresemius, in dedicatione suæ editionis, non sine quadam subridicula dicendi magnificentia gloriabatur « suis vindiciis postliminio redivivum » fecisse ?

Vir fuit summæ eruditionis, acutissimus rerum Anglicarum investigator Joannes Lelandus, qui, ineunte Henrici VIII regno, omnes veterum monasteriorum bibliothecas scrutatus, nullius non, ut ipse veridice scripsit, manuscripti « pulverem et blattas excussit. » Quum autem, juvenis adhuc, in Collegium Magdalenæ Oxoniense casu diverteret, inciderat in « libellum, carmine scriptum, sed imperfectum et

[1] Daretis Phrygii *de Bello Trojano*, libri VI, latin. carm. a Josepho Exoniensi redditi; recogniti et emendati cura et studio J. Mori. Londini 1675, in-8°.

[2] Dictys cretensis et Dares Phrygius *de B. Trojano*, ex editione Sam. Artopæi (Argentor. 1691) cum notis et interpretatione in usum Delphini... Accedunt Jos. Iscani de B. Troj. lib. VI. Londini 1825, Ed. Valpy.

tantumnon obliteratum, cui erat hic titulus: Dares Phrygius de Bello Trojano. » Respuit nomen ut spurcum, sed volumen summa delectatione perlegit. Post biennium, Lutetiæ Parisiorum studenti, et bibliothecam Victorianam invisenti, idem qui prius libellus, sed mancus etiam illi sese obtulit. Eumdem tertio, apud virum doctissimum, familiarem suum, offendit, at anonymum, et sub fine mutilum. Summa porro diligentia volumen exploravit, auctoris nomen, adjuvante amico, sollicite quærens. « Tandem, ubi ad hoc hemistichium perventum est:

Quos superos in vota vocem [1],

quidam diligens lector in margine, minutissimis litteris, adscripserat : Supple : Ego Josephus. Atque hæc hactenus de nomine cognita [2]. » Paucis autem annis elapsis, dum cunctas Britanniæ provincias, eruendæ Antiquitatis vel remotissimæ causa peragrabat, repperit in Thornegana Bibliotheca codicem integrum, unde certior factus est Thomam Balduinum, Cantiorum archiepiscopum, Josephi patronum

[1] *Iscan.* l. I, 28.
[2] *Commentarii de Britann. Scriptoribus,* auctore Joanne Lelando Londinate. Oxon. 1709, p. 236 sq.q.

exstitisse. At patriam, genus, conditionem etiam Josephi quidam versus medio opere interjecti conjectura assequi sinebant, nulla tamen satis certa præstabant indicia. Quum vero animadvertisset vir sagacissimus poetam ipsum, sub finem VI de Bello Trojano libri, mentionem facere alterius poematis in quo destinaret *Antiochi bella* et *Christicolas acies*, id est sacram Christianorum contra Sarracenos expeditionem, canere, non recessit a bibliothecis explorandis; tandemque, in Abbandunensi [1] monasterio, truncum posterioris hujusce poematis fragmentum unicum illi in manus venit, ubi poeta, nominatim expressam suam urbem Exoniam, olim Iscam Dumnoniorum, magnifica laudatione extulerat. Sic nota demum patria Josephi: inde ipsum alterutra appellatione designari licuit, sive de

[1] V. Leland, *Comm. de Brit. Script.* «... Majora aggressus, Bellum Antiochenum consecravisset (Josephus) eidem patrono (Balduino), nisi optimus archiepiscopus Tyri obiisset... Neque hic tamen cessavit quin, mortuo patrono, quod semel inchoaverat absolveret... Hoc ego tam undecunque luculentum Josephi opus diligentissime multis in locis quæsivi, nec inveni. Tantum fragmentum magni operis nuper mihi in manus venit, quum excuterem pulverem et blattas Abbandunensis bibliothecæ. ... De bello Antiocheno amplius nihil novi, nisi quod ex eo eluceat Josephum fuisse natum Iscæ Domnoniorum; quam urbem tam exquisite, tam dextere, tam denique magnifice vel ad æthera tollit, ut facile credas Musas ipsas cum profluenti Helicone toto vati eà concinenti præsentissimas adfuisse... »

nomine urbis Iscanum aut Exoniensem, seu de provincia Devonium, qua in regione sita est antiqua Dumnoniorum civitas.

Accedit Lelandi testimonio auctoritas antiquarii eruditissimi, Guillelmi Camdeni, qui, in suis *Remaines* [1], quum honorifice memorat facultatem poeticam Josephi, tum duo et viginti versus, jam a Lelando ex Antiocheide excerptos refert, et dolet non superesse plures ex opere tantis luminibus orationis illustrato partes.

Nusquam postea inventum est, seu annorum, seu hominum culpa suppressum, illud, manibus Lelandi et Camdeni tractatum, fragmentum Antiocheidos, et si quis integrior ejusdem poematis codex aliquando exstitit [2].

At vero ita Lelandi auctoritas, testimonio Camdeni confirmata, valuit, ut suum Josepho nomen restitueretur, et aliqui Belli Trojani loci supplerentur, a prioribus editoribus sive ignorati, seu sponte omissi aut adulterati. Inter

[1] V. Camdeni, *Remaines of a greater worke*, concerning Britain, the inhabitants thereof, etc.. London 1605.

[2] Th. Wright (*Litter. and superstitions of England in the middle ages*, I, p. 199) opinatur fieri quodam modo posse ut codex Antiocheidos unus, in magna Bibliotheca (celle du duc de Chandos, à Canons), olim Wartoni indicatus, et post publicatos hujusce bibliothecæ libros amissus, aliquando compareat.

præcipuos indicare decet septenorum versuum seriem [1], jam a Camdeno laudatorum, quos in Codice Digbensi superiore sæculo Warton [2] legisse se testatur. Qui locus vel unus quo tempore viguerit Josephus facere manifestum potest; nam nos docet sub auspiciis Balduini, secundi in episcopali Cantuariæ sede Thomæ Becketii successoris, Josephum opus de Bello Trojano inchoasse, et eximio illi viro, tanquam patrono et fautori, dedicasse.

Fuit Thomas ille Balduinus unus ex eminentissimis saxonicæ gentis, regnante Henrico II, sacerdotibus : qui, Isca civitate, ut Josephus, oriundus, paupere domo, sic humilitatem originis virtute, doctrina, vitæ sanctitate ac modestia compensavit, ut summas dignitates sit adeptus. Monasterium Fordense ingressus, ita sociorum animos pietate sibi conciliavit, ut anno vix uno elapso, abbas unanimo consensu electus fuerit. Ea tempestate tota fere Britannia certamine inter Henricum regem et Th. Becketium exorto convulsa agitabatur. Ingens exarserat animorum contentio, quum, inter sacerdotes et clericos, regis alii, alii ar-

[1] Innumerum jam crescit honos, etc....
Locus est post v. 32, l. I (in edit. ad us. Delph.) inserendus.
[2] V. Warton, *Hist. of English Poetry*, t. I, p. CXXVII.

chiepiscopi partes essent amplexi. Nec morte præsulis discidium finem ceperat, quum Normannorum sacerdotum plerique eum ut hostem publicum majestatis regiæ et rebellem Saxonum defensorem aversarentur, Saxones autem lugerent, utpote qui vitam fidei impendisset. Medium tenuit iter abbas ille pius arduam inter contumaciam et demissam omnino servitutem. Commendavit eum apud principem is ab omni prorsus ambitione relegatus et vere christianus pacis amor, et suffragio popularium episcopus Wigorniensis, non adversante Henrico, declatus est (1180). Defuncto autem Ricardo, qui Cantuariæ post Th. Becketium archiepiscopus præfuerat, cooptatus fuit ab episcopis Cantiæ provinciæ Balduinus, instigante ipso rege et diem suffragii designante (Maio mense 1184).

His ferme diebus in poemate condendo elaborabat Iscanus: nam incrementum patroni sui honoribus additum sic alludendo aperte notat :

Innumerum jam crescit honos : te tertia poscit
Infula ; jam meminit Wigornia, Cantia discit,
Romanus meditatur apex[1]; et naufraga Petri

[1] « Romanus.. apex », ut nos dicimus hodie : *la pourpre romaine*. Procul dubio designat poeta *theologica* BALDUINI *opera*, unde et ipsa Romanorum pontificum majestas salutaris doctrinæ præcepta haurire jam didicit.

Ductorem in mediis exspectat cymba procellis[1].

Is est, si credimus poetæ,

quo præsule floret
Cantia, et in priscas respirat libera leges.

Ipsum temporis articulum dignoscimus : relicta nuper Wigorniensi sede, ad Cantuariensem accesserat Balduinus. Profitentur autem versus Josephi admirationem, judicantis nulli imparem officio fore virum qui tantam de se opinionem genuisset. Itaque vel tiaram illi assignat, quam, haud ita pridem (a. 1180), Lucius Pontifex, inter tumultuantes populi et clericorum factiones, a solis cardinalibus donatam acceperat. Et gravissimi etiam monitoris vigilantia laudatur, qui in sua *de Moribus Cleri et Populi* disputatione[2], tum populum carpserat quod non satis viros ecclesiasticos coleret, tum sacerdotes monuerat ne malignorum suspicionibus morum pravitate ultro latus præberent.

At statim Iscanus ab isto velut spei excelsioris fastigio pedem refert ; nec enim is est Balduinus qui se fortunæ fluctibus jactandum temere permittat :

Tu tamen occiduo degis contentus ovili,

[1] Loc. inserend. post versum 32, lib. I (Ed. ad usum Delph).
[2] V. Th. Wright, *Biogr. Britannic. Litter.* (*Anglo Norm. Period.* p. 294).

Tertius a Thoma, Thomasque secundus [1] et alter,
Sol oriens, rebus successor, moribus heres.
Felices quos non trahit ambitus ! ardua nactus,
Non in se descendit honos ; non cæca potestas
Quid possit fortuna videt ; non perfida sentit
Prosperitas flevisse humilem qui ridet in altis.
Parcite [2] : venales quisquis venatur honores,
Unde ruat tabulata struit. Premit ultio noxas,
Tunc gravior quum tarda venit, tunc plena timoris
Quum terrore caret ; blanda nil sævius ira,
Quum floret miseri felix injuria voti.
  At tu dissimilis longe, cui, fronte serena,
Sanguinis egregii lucrum pacemque litata
Emptam anima [3] pater ille pius summumque cacumen
In curam venisse velit, cui cederet ipse
Prorsus, vel proprias lætus sociaret habenas.
(I, 33, sq.q.)

Constabat hactenus inter doctos ista in universum accipienda esse contra ambitum jactata. Hanc opinionem repudiare nos jubet

[1] Sic Dresem. et plerique ; at post hæc Codex Ms. Bibl. Nation. (de quo v. infra p. 16) ea subdit prorsus criminosa in illum qui medius inter Thomam et Balduinum exstiterat, Ricardum archiepiscopum :

et una
Discrevit geminum nox interjecta serenum.

[2] Hic supplet J. Morus :

Parcite sacrilega superos incessere dextra,
Parcite : venales quisquis... etc...,

quod idem exhibet Cod. ms. a J. Jusserand (vide infra p. 16) allatus ; totus que locus est hominis malas supra dicti Ricardi artes exsecrantis.

[3] Hic subobscure significatur præclara mors beatissimi Thomæ « Martyris », sanguinem restituendæ pacis gratia sponte effundentis.

J. Jusserand[1], et locum in meliorem lucem reponit. Scilicet ante Balduinum obtinuerat Ricardus[2] sedem Cantuariensem, nec omnibus monachis, ut quotidie illis temporibus accidebat, æque placuerat. Imo criminati erant illum inimici, quasi data pecunia pontificatum aucupatus esset, et monasteriorum prædia contra fas invasisset, denique archiepiscopi superioris, beati Thomæ ipsius, iram in se malefactis suis concitasset[3]. His suffragatur manifesto Iscanus; qui Balduini sui laudes eximia hac laude absolvit, quod eum sanctissimus ille Ecclesiæ Anglicæ propugnator et « martyr » benignis oculis de cœlo respiciat, et tanquam officii sui ac muneris vicarium tueatur. Absit ut in istas monachorum controversias nos descendamus, et arma aut pro Ricardo aut pro Balduino moveamus, quippe qui non ignoremus eadem utrinque intemperantius jactata fuisse, nec defuisse qui telis iisdem Balduinum confixerint[4]

[1] J. Jusserand, *De Josepho Exoniensi*, Paris, Hachette, 1877.
[2] Vid. supra, p. 8.
[3] Vid. Gervasii *Chronic*, t. II, col. 1478, 1675.— Cf. J. Jusserand, p. 107.
[4] Credere est nonnihil monasticis odiis addidisse diversitatem generis, si quidem Gervasius, Normannus homo, Ricardum, Normannicæ stirpis et ipsum, magnifice laudat, contra de Balduino, Saxonicæ originis episcopo, idem plus quam fastidiose : « quum facta Baldewini video, non bona, sed mala multa referre compellor invitus ». Cf. J. Jusserand, p. 107.

quibus alii Ricardum antea. At totum ego locum afferendum ideo censui quod nullus magis idoneus visus est ad elegantiam Iscani demonstrandam; fertur et dignitatis et nitoris plena sententia, nec minus profecto sapit quod jam non mera ea declamatio est judicanda.

Quo demum necessitudinis vinculo Iscanus municipi suo, mox Anglicæ ecclesiæ primario, adstrictus hæserit, quo munere intra domum functus sit, haud satis constat. Fortasse a teneris eum Balduinus, utpote egregiæ indolis puerum, erudiendum scholasticis tradidit; fortasse, inter familiares admissum, monachis suis aggregavit. Solebant enim abbates et episcopi admovere lateri et intra parietes fovere quosdam eruditos ac litteratos adolescentes, quibus scribis aut librariis uterentur, quos deinde, velut manibus suis informatos, ad munia ecclesiæ exercenda aliquando promoverent. Sic uno antea sæculo fama traditur doctissimus monachus Eadmerus placuisse Anselmo, Cantiorum episcopo; sic eodem fere tempore accepimus Henrico, historico eidem et poetæ, in schola cathedrali Lindocollinensi, sub tutela Alcuini Andegavensis adulto[1], fuisse postea

[1] V. Th. Wright, Op. supr. laud. p. 168. Ille autem Henricus postremo Huntindonensis Archidiaconus est factus.

patronos Aldoinum et Reginaldum, abbates ambos Ramsæensis monasterii; sic, ne plurium nomina enumerem, sancti Albani monachum, Joannem Annævillensem, post multa itinera et diuturnam in Parisiensi Universitate commorationem, poema cui titulus *Archithrenius* inscribitur, Galtero, Rotomagensi archiepiscopo, dedicavisse.

Quod ad bellum Trojanum attinet, suspicari licet vel aliquot annos poetam in opus absolvendum insumpsisse. Etenim, sub fine loci supra transcripti, jam narrationem heroicam aggressurus, talia subjungit :

Hactenus hæc; tuque, oro, tuo da, maxime, vati,
Ire iter inceptum, Trojamque aperire jacentem.
Te sacræ assument acies divinaque bella,
Tunc dignum majore tuba : tunc pectore toto
Nitar, et immensum mecum spargere per orbem.

Patronum hic invocat Balduinum [1], ut olim Cæsari suo, quum Georgica dedicaret, vota faciebat Virgilius, seque in posterum militiæ augustioris præconem pollicetur. Res satis hæc per se liquet. Nam si Christiani orbis annales volvimus, legimus, sub fine anni 1187, a pontifice Clemente III decretam expeditionem contra Sarracenos, nuper Hierosolyma potitos

[1] Balduinum, non Henricum regem, ut Lelando creditum.

et tota ferme Palæstina ; se autem crucis sacramento una obligasse reges Galliæ et Britanniæ Henricum et Philippum Augustum ; inde ab ineunte anno 1188, videmus Balduinum et amicum ejus Giraldum Cambrensem per civitates et pagos Walensium iter facientes, et ad sacra arma suscitantes multitudinem mira alacritate e vicinis partibus confluentem. Majus itaque de se opus promittit Josephus, divini argumenti sanctitatem poetica facultate æquaturum. Istos autem versus satis constat in librum I insertos fuisse, quum jam ad clausulam poema vergeret, nec aliud sane in hoc exordio opus significari ac in epilogo illo quem, jam antea a Lelando traditum, manuscripto Digbensi Warton perlegit, VI libro subjungendum :

Etsi quando auctor rarus, tamen altera sacræ
Tendo fila lyræ; plectro majore canenda,
Antiochi me bella vocant : nunc dicere votum est
Christicolas acies, et nostræ signa Sibyllæ [1],
Quæ virtus, quæ dona crucis Nec fundit anhela [2]
Hos mihi Cirrha pedes : animi fidentis hiatum
Celsior e coelo venit impleturus Apollo.
 Tu quoque, magne pater, nostri fiducia cœpti,
Altera et in pelago pandes mihi vela secundo.

[1] Intell. vocem summi pontificis per Christiana regna sonantem eque sacris Romæ adytis erumpentem.

[2] Sc. non hos mihi versus suggerit numen istud, quo afflante Pythia delirabat.

Hoc tibi ludit opus ; succedet serior ætas :
Seria succedent, aures meritura pudicas.
Si tuus in nostros candor consenserit ausus,
Haud metuam culicis stimulos fucique susurrum.

Quale tamen illud opus, quod veluti divinitus instinctus poeta vaticinatur ? Non dubitat Lelandus quin Anticcheis illa secundam Crucigerorum expeditionem fusius explicuerit, eaque vir egregius addit :

« Erat latissimus per se dicendi campus, et res digna in quam omnes eloquentiæ nervos intenderet (Iscanus). Dabat etiam animos scribenti hinc odium in Sarracenos et Sultanum Babylonium, hinc amor patrius erga Ricardum, Anglorum regem ; qui in illo bello tot clarissimas victorias ipse clarior peperit quot vix Cæsar unquam tam brevi consecutus est..... »

Et vera quidem ista Lelandi interpretatio, quam, post Camdenum, secuti sunt viri doctissimi Warton et Wright [1]. Palam autem faciunt versus supra relati florere adhuc juventa poetam, seria tunc demum aggressurum, ubi seriores subierint anni. Universa vero sententia declarat scriptoris candorem veriti ne, in tanta rerum varietate, non satis idoneus auctor sibi

[1] V. Warton, *Hist. of Engl. Poet*, t. I, diss. 2, p. 162, sq. q. Th. Wright, *Biog. Brit. Litt.* (*A. Norm. Per.* p. 402, sq. q.

suppetat, cujus testimonio innitatur, summam tamen operam se huic novo poemati navaturum spondentis, utpote quod severi judicis auribus dignum fiat.

Ubinam gentium id temporis degeret Iscanus incertum etiam nunc foret, ni recentissimi de Iscano libelli auctor, J. Jusserand [1], deprompitis novis et fide dignis documentis, rem plane illustrasset. Tres exstant epistolæ [2] (quod utinam plures a dom. Martene receptæ fuissent!) ab Iscani manu profectæ, quæ docent ipsum, a Balduino digressum, transmisso freto, in Gallias pervenisse, ibique satis longum temporis spatium in umbra scholarum consumpsisse. Scriptæ sunt ad Guibertum quemdam, summæ pietatis virum, tunc Florinensis monasterii, in diœcesi Leodensi, abbatem, quocum, licet annis et honoris gradu superiore, Josephus maximis

[1] Dum præsens hoc volumen meum jam typis mandandum tradebatur, ecce mihi allata est luculenta J. Jusserand *de poeta Exoniensi disputatio*, quæ inter alia hoc singulare habet quod exhibetur in Appendice primus Belli Trojani liber, e codice manuscripto in Nationali Bibliotheca (lat. 15015) asservato, depromptus, subjunctis quibusdam notulis, ineunte XIII sæculo, sed non Josephi, ut temere mihi quidem videtur conjectare J. Jusserand, manu conscriptis : quæ et nova quædam in textum ipsum inducunt, et nonnihil ad explananda interdum obscura expediunt.

[2] Vid. Marten, *Veter. Scriptor. et Monum. Ampliss. coll.* t. I, col. 938.

et dulcissimis amicitiæ vinculis conjunctus fuisse videtur. Exstant et pii abbatis, ad Iscanum rescribentis, plenæ caritatis ac benevolentiæ litteræ. Ex his omnibus apparet nostrum aliquot annos, scholastici nempe munia obeuntem, in Geldorensi oppido, ubi tum inclita schola florebat, commoratum esse. Iscani porro epistolæ, amico, ætate et rerum experientia maturiori, secreta animi libere, ut amicum decet, aperientis, egregiam nobis viri opinionem præbent. Sermo non Ciceronianus profecto, et monastica plus quam velimus rubigine imbutus, et multo minus poetica ejusdem elocutione politus. At qua se pietate et modestia præditum ille ostendit! qua innocentia ac simplicitate ingenii nimium lascivientis delicias incusat! quam ingenue se profanis cogitationibus districtum, et medici manu ac prudentia egentem denuntiat! Placent ista, et favorem Iscano nostrum conciliant. Quinetiam ex his epistolis novissima fidem manifesto facit stipendia ipsum in magna illa transmarina expeditione meruisse, utque, paucos ante annos, archiepiscopi sui convictor domi fuisset, ita tunc contubernalem in castris adfuisse.

Cupierat profecto Balduinus admovere lateri suo fidissimum illum virum, quem a teneris

notum habebat, cujus amicitiæ nullum temporis intervallum, nulla locorum longinquitas intercesserat. Nec ipse appellatus recusavit officium Iscanus, etiamsi non sine quadam animi perturbatione umbratili scholarum vitæ et jucundæ Guiberti familiaritati valediceret. Sese itaque, ad amicum scribens, depingit « in pera et baculo, divina vocante, et utinam prosequente gratia, Hierosolymam cum domino suo Cantuariensi episcopo » jamjam iter intendentem. Movet nos etiam nunc suprema hæc salus Guiberto tanta dicendi suavitate missa : « Rogo ut quum aliquid scriptorum meorum inter vestra reppereritis, Joseph vestri aliquatenus memoria vobis innovetur... Obsecro jam, quod sine lacrymis non profero, extremum, ut puto, dilecti vestri Joseph vale accipite, et ex munusculis meis, quamdiu vobis ea habere placuerit, firmitatem devotionis meæ erga vos fideli officio recolite.[1] » Et ipsi nobis audire videmur optimum virum, egregium poetam, opera, quasi partem aliquam vitæ mentisque suæ, viro amicissimo commendantem, et velut unicam amicitiæ mercedem, recordationem sui efflagitantem. Nihil vetat credere nos inter

[1] V. Marten, op. laud. Cf. J. Jusserand, p. 42.

ista « munuscula » non fuisse omissum hoc de Bello Trojano poema, alterius jam poematis voto conclusum! Et hoc quidem Iscanus est inter ceteros ejusdem ætatis litteratos insignis, quod, quanta pietate miles nomen apud Crucigeros professus est, tanta sollicitudine laborem poeticum amantibus sui tradit : quo majore nos desiderio afficimur Antiocheidis illius, in qua rerum gestarum idem et testis et narrator exstiterat.

Nemo dubitaverit se nostrum pro solita fide atque constantia in Palæstina gessisse, et piam in primis Balduino navasse operam : ægrotanti scilicet sub mœnibus Ptolemaidis assedisse, deficientem fovisse, mortuum denique composuisse. Quid autem post obitum patroni, et lamentabilem belli tanto animorum impetu sumpti exitum, de Iscano factum est? an, transmisso iterum mari, in patriam recto itinere contendit? Credere satius est eum, ad Gallicas oras præversum, hospitio rursus sive Geldorensis scholæ, seu Florinensis monasterii usum esse, et ægritudinem animi ac mæstitiam Guiberto illi suo tractandam sanandamque permisisse. Is enim mox abbas Gemblacensis electus (a. 1194) usque ad annum 1204 vitam pertraxisse asseveratur. Facile equidem

crediderim Iscanum celeberrimas, et Anglicis, eo tempore, hominibus redundantes, Lutetiæ scholas tunc præsertim invisisse, quod indicare queat vel ille manuscriptus Belli Trojani codex, olim in Victoriana, nunc in Nationali Bibliotheca asservatus [1]. Et gravissimus quidem Universitatis Parisiensis historicus, Bulæus [2], doctos Anglica origine viros Lutetiæ, exeunte XII sæculo, deversantes recensendo, nomen Josephi honorifice nuncupat :

« Josephus Iscanus, natione Anglus, patria Devoniensis, vir fuit omni bonarum artium supellectile instructissimus, et poeta adeo elegans ut eum optimis quibuscumque, etiam antiquis, arte et ingenio conferri possit. His studiis magnatum sibi conciliavit animos, præcipue vero Ricardi I, Anglorum regis... »

Fieri nimirum potuit ut in Anglicanis Galliæ provinciis commorationem aliquam noster fecerit. In Aquitaniam præcipue auctores fere universi eum asseverant Ricardi regis favore allectum esse ; unde forsan rumor apud quosdam percrebuit, inter quos Pitseus [3], ab illo

[1] Cf. Leland, op. laud., p. 236, J. Jusserand, p. 90.
[2] V. *Hist. Univ. Paris.* t. II, p. 751.
[3] Pits., *de Illustr. Angl. Script.*, Paris, 1619-1623, p. 275 in-4°.

principe nostrum fuisse ad sedem Aquitaniæ primariam evectum : quod et Bulæus[1], et multi postea, ex computandis Burdigalensis diœcesis chartulis, commenticium declaravere[2].

De reliqua nostri vita, de morte nihil. Claruisse illum circa annum 1210 mera conjectura est Balæi[3], quam repetit Pitseus, nullo novo adjecto indicio. Lelandus illum usque ad regnum Henrici III perdurasse contendit, errore quodam nominis inductus. Namque ille « tertius Henricus noster », cujus martiam indolem poeta laudibus extollit, manifesto est filius Henrici II qui, patris jussu, rex inde ab anno 1170 consecratus, præmaturo autem fato anno 1183 interceptus, vulgo sub nomine Henrici III, apud æquales annalium scriptores, designatur[4]. Statuit d. A. Joly, ex eo quod, teste Camdeno[5], Iscani feruntur versus Huberto, Cantuariensi archiepiscopo ad annum 1223 dedicati, nos-

[1] V. BULÆUM, loc. laud. Cf. FABRIC., *Biblioth. med. et inf. latinit.*, II, p. 178.
[2] V. in primis DION. SAMMARITHANI (*Gall. Christ.*, Paris 1715, inf. t. II, col. 808. sq.q.).
[3] BALE, *Script. Britann. Cent. Tertia*, p. 252. Cf. TH. WRIGHT, *Biog. Brit. Litt.* (*Angl. Norm. Per.* p. 402.)
[4] V. *Hist. de la Fr.*, t. XVII, p. 455. « Est autem sciendum quod rex iste Henricus III, filius Henrici Regis, filii Mathildis imperatricis, filiæ regis Henrici I, obiit in villa quæ dicitur Martel... » (Ex BENED. PETROBURG. ABBAT. *Vita et gestis Henrici II.*)
[5] V. CAMBDEN, *Britann.*, 1607, p. 433 (Bibl. Maz.)

trum non ante hunc annum decessisse. Nihil tale in Camdeno repperi ; locus ex Camdeno transcriptus, cui A. Joly videtur alludere [1], notus est, nec ad Hubertum, sed ad Balduinum, pertinet. Credo hic in errorem delapsum esse d. A. Joly, Dresemio duce, qui in præfatione ad Lectorem, Hubertum pro Balduino semel iterumque nuncupat, inter alia falsa falsum hoc asseverans :

« Camdenus ait ad Hubertum, archiepiscopum Cantuariensem, quædam illum misisse, et floruisse anno 1223. »

Quo de Huberto male testem adhibet Pitseum doctus H. Weissenborn [2]; Pitseus [3] enim recenset inter præsules sedis Cantuariensis Hubertum aliquem ; at illum statuit mortuum esse anno 1205. Quomodo autem potuit Iscanus anno 1224 versus mittere viro a. 1205 defuncto ? aut quomodo quis a. 1205 defunctus argumento queat esse Iscanum usque ad annum 1224 vitam perduxisse ?

Nunc venio ad opera Iscano adscripta. Fama enim vulgaverat ab illo non Trojanum

[1] V. A. Joly, *Benoit de Sainte-More et le Roman de Troie*, (*Mém. de la Soc. des Antiq. de Normandie*, t. VII, p. 870.)
[2] *Encyclop.* Ersch et Gruber, S. II, t. XXIV, p. 311.
[3] Pitseus, *de Illustr. Scriptor.*, Paris, 1619, 1623 in-4°, p. 273 (Bibl. Maz.).

solum Bellum aut Antiocheida, sed carmina alia diversis vitæ temporibus fuisse composita : quorum indicem sic prior Lelandus posuit[1] :

Panegyricum ad Henricum II, l. I ;
De institutione Cyri, l. I,

cujus operis hic versus tanquam primus fertur :

Prælia bina ducum canimus... ;

Nugas amatorias, l. I ;
Epigrammata quoque, l. I ;
Diversi carminis genera.

Iis ex Lelando transcriptis Balæus addit : « Plura etiam præter hæc scripsisse eum (Iscanum) non dubium est : quæ fortassis temporis injuria omnino exstinxit » ; et Lelandus, eo animi affectu quo omnia ad Iscanum pertinentia tractat : « Utinam, inquit, exstarent quæ juvenis præluserit, videlicet Epigrammata et Nugæ amatoriæ, ut et in hac quoque parte auctoris, non modo elegantiam, verum etiam ingenii felicis acumen approbaremus ! »

Hæc « Cyri » mentio inopinata, quæ statim in memoriam Xenophontis et Cyropædiæ lectorem inducere videtur, causæ pro-

[1] LELAND, Op. laud. Cf. BALE, PITS, etc...

fecto fuit cur a Pitseo [1] noster appellaretur « vir omni bonarum litterarum lautiore supellectile instructissimus, Græcæ linguæ peritissimus. »

Tam tenui indicio nihil confirmari jure potest. Quod si forte historiam Cyri, sive Xenophontis, seu Herodoti auctoritate fretus, versibus noster mandaverit, eo magis pœnitendum est interceptum opus esse, cujus simile quidquam frustra in omni medii ævi perpetuitate quæras. Valde insuper mirandum sit Iscanum græcitatem attigisse, quam quidem prorsus neglectam apud doctissimos æqualium plurima testentur [2]. Unde tamen hujusce operis titulum Lelandus desumpserit incertum : falsarii alicujus d. Wright [3] manum suspicatur, miratus quod idem ille versus qui tanquam primus Cyri Institutionis indicatur jam secundus Belli Trojani compareat [4].

Nugas Amatorias silentio præterirem, nisi occasio inde orta esset vehementioris, ut fit, inter quosdam eruditos XVII sæculi viros, contentionis. Lacessitus enim a Bailleto Menagius [5]

[1] Pits., p. 273, Cf. Ersch et Gruber, loc laud.
[2] V. infra, p. 98.
[3] *Biog. Brit.* (*Angl. Norm Per.* p. 491, sq. q.).
[4] *B. Troj.* I. 2.
[5] *Anti Baillet*, II, 335.

tanquam levioris generis carmina et indignas sacerdotali quidem veste ineptias edidisset, summa sese acrimonia defendit, rei innocentiam clericorum exemplo illustrium tutatus: inter quos expeditæ vir eruditionis potius quam integri judicii, Anglicos monachos Henricum Huntindonensem et Josephum Iscanum arcessit. Donetur itaque innocentia, quod ad Iscanum attinet, Menagius ! etsi ad litem dijudicandam necesse foret scire qualia essent ista nostri ludicra, et quatenus Ovidii delicias et lasciviam in istis suis Nugis aut evitaret aut sequeretur [1].

Fuerit itaque clarus, dum vixit, Iscanus; fuerit principibus et summis Ecclesiæ viris acceptissimus : sane mors obscuram vitæ illustri finem attulit. Quot annos absolverit ille, quo loco, quo tempore sit defunctus, nemo nos certiores fecit. Eadem vero incuria prætermissa sunt plerorumque ejusdem ætatis poetarum

[1] Possimus et nos meliore jure humilem nostri confessionem ex epistola ad Guibertum depromptam contra ipsum interpretari: « Non erubesco, inquit, ulcera mea detegere, amico præsertim et medico. Vagus et pollutus cogitationibus distrahor, verborum lasciviam studiosus amplector, opera quæ Deo displicent operor... » (Vid. Marten, *Veter. Script. et Monum. ampliss. collectio*, t. I, col. 947, loc a Jusserand laud. p. 38). Nonne ad *Nugas amatorias* aut juvenilia ejusdem generis ludicra hæc et talia referre liceat?

facta, nisi quis aut abbas aut episcopus forte decesserit. Quo itaque tempore J. Annævillensis aut G. Mapensis, quo Galterus de Insulis, aut Galfridus de Vinosalvo, quo apud Germanos Guntherus obierint prorsus ignoratur. Ea est de iis omnibus æqualium seu posterorum negligentia, ut eorum scripta asserventur, nomina e codicibus explodantur, aut corrupta tradantur. Fit Joannes Annævillensis ex suo Architbrenio Archithrenius, Guntherus ex Ligurino Ligurinus, et nomen operis auctori transfertur. Titulus Poeticæ Novæ suæ, vulgo *Poetriœ*, Galfrido de Vinosalvo aufertur, et per multos annos Horatio imputatur. Spoliatur item sua possessione noster Iscanus, a Cornelio Nepote summotus. Sic tamen securus sæcula multa transire potuit; verisimile quippe est illum non incolumem fuisse evasurum, nisi alieno sub nomine latuisset. Hoc enim perdere debuit ejus Antiocheida, quod sub vero, ideoque despecto nomine, proderetur. Adeo nullus inter recentes commovere mentes oculosque mereri legentium posse videbatur, nisi novitatem suam antiquitatis obtentu dissimularet! Quinetiam, non minus quam librariorum incuria, sua ipsis modestia poetis offecit : qui, quum fautorum aut patronorum nomina suis pagellis

inscribi summo studio cuperent, sua facile ignorari patiebantur. Quod testatur ipse noster qui, postquam, suprema jam Bello Trojano imposita manu,

.... Culicis stimulos fucique susurrum,

satis animose contemnit, non videtur suspicari multo etiam acrius reformidandum esse viris ingeniosis silentium quam ipsa inimicorum aut liventium dicteria.

Quidquid id est, incassum dolemus. Totus jam nobis est in Bello Trojano Iscanus. Hanc itaque pulchri specimen ingenii in manus sumam, non ante tamen quam exposuero quo in statu fuerint apud Anglos, Henrico II regnante, litteræ, et quomodo in animum inducere sibi potuerit XII sæculi monachus Bellum Trojanum heroicis versibus canendum suscipere.

CAPUT II

QUI STATUS LITTERARUM, QUÆ CONDICIO VIRORUM LITTERATORUM ESSET APUD ANGLOS, SUB FINEM XII P. CH. SÆCULI.

Quum filius Mathildis, comes Andegavensium, Henricus II regnum Britanniæ adeptus est anno 1154, duo et octoginta anni effluxerant ex quo Normannorum dux Guillelmus, vi et armis finibus Anglorum occupatis, ultimum Saxonum regem Haroldum regno et vita spoliaverat. Atrociter tunc in miseros Saxones sævitum; nobiles una et ignobiles multati, alii solo et beneficiariis prædiis exuti, alii gravibus ac duris vectigalibus oppressi; in prædam præcipuis Victoris militibus devenerant castella, monasteria, episcopatus, dignitates. Odia tamen longo post tempore resederant; nobilissimæ Normannorum familiæ sedem

inter victos elegere; et conjuncti matrimoniis et affinitatibus cum victoribus victi. Reges ipsi, Victoris successores, jure stabilire conati sunt dominationem violentia primum et injuria nixam. Simul humanitate doctrinaque excellentes viri, Lanfrancus et discipulus ejus Anselmus, unus et alter Cantuariensis sedis titulo exornati, gentem invalidam Saxonum contra dominos præpotentes, et indigenæ ecclesiæ, vel adversus principes, jura sedulo tutati sunt, non de Saxonibus tantum ita bene meriti, sed de Normannis etiam, quorum tolerabilius in dies jugum subjectæ genti visum est. Mirifico insuper studio conati sunt per omnem Britanniam semina bonarum artium et ingenuæ culturæ fructus propagare, et si qua liberalis forent doctrinæ apud Saxones monumenta reparare et pro viribus etiam amplificare. Nec irriti recidere conatus; nec isti, qui dicebantur barbari, Saxones fastidia Normannorum ab omni parte merebantur.

Tempus nimirum fuerat quo et ipsi per universam fere Europam divulgandæ humanitatis et religionis studio innotuerant. Vixdum enim, quinto post Christum sæculo, Saxones piratæ, levibus navigiis ad insulam appulsi, impetum in Britannos fecerant, et e

civitatibus exactos intra sylvas et juga montium compulerant, aut, transmisso freto, coegerant in Armorica littora exsulare, quum ipsi, exuta morum avita rubigine, mature ad Christum conversi sunt; eoque mox ipsi processere ut feris Germaniæ nationibus fidem impertirent quam haud ita pridem ab Augustino monacho et ceteris summorum pontificum legatis accepissent. Quid est opus Winifridi nomen commemorare, oppido Cridiantum (hodie Crediton) oriundi, ad Credenum (hodie Credy) fluvium, quo in loco primitus floruit sedes episcopalis, postea ad Exoniensem civitatem translata? Umbræ enim altarium subjectæ artes bellis et rapinis successere. Nulla non ecclesia, nullum non monasterium scholam, et gregem auditorum habuit. Sermonem unice latinum clerici et, annis intercedentibus, ceteri usurpavere. Adde quod multæ necessitates inter Saxonicam ecclesiam et Romanos pontifices intervenere. Mos inter nobilissimos Saxonum prævaluit itineris Romam, fidei causa, suscipiendi : inde major et litterarum latinarum cultus. Erat instar singularis beneficii, si quis peregrinantium, hospitio Montis Cassini aut clari alicujus monasterii exceptus et in cellam librariam admissus, posset aut manibus tractare

exemplar scriptoris antiqui aliquod, aut dono etiam recipere. Nec desierunt summi pontifices quasi tutelam Britanniæ exercere et magistros erudiendis Britannis sacerdotes delegare. Sic monachus Cassini Benedictus, anno circiter 630, secutus Birinum, Saxonum apostolum, ecclesiæ Wintoniensi præpositus est; sic Theodorus, monachus Romanus, a Vitelliano pontifice anno 688 missus est et Archiepiscopus Cantiorum consecratus, ejusque comes, Neapolitanus monachus, Adrianus, abbas sancti Augustini Cantuariæ ab eodem pontifice declaratus; ambo, sacris et profanis scripturis eruditi, ingentem secum manuscriptorum copiam in Britanniam intulere. Quos in patriam comitatus introduxit Benedictus Biscopus, conditor scholæ Veremutensis. Quotidie enim et in Cantia et in remotioribus insulæ partibus crevere juxta monasteria et ecclesias gymnasia; ibi que frequens juventus se lectioni seu profanorum auctorum, seu Patrum, nec non latinitati pure atque eleganter scribendæ dedidit. Informabant optimi institutores discipulos, per quos fama scholarum Anglicarum undique vulgata ferebatur. Satis notum est Carolum Magnum, quum nobiles regni sui adolescentulos litteris erudiri vellet, ab Alcuino, tum scho-

lam Eboracensem administrante, magistros efflagitasse. Porro ab eodem Alcuino, Adriani discipulo, doctrinam Rabanus hausit quam postea in monasterium Fuldense infudit, et a Biscopo institutus est Beda ille Venerabilis, tantis Veremutensi monasterio suo vinculis adstrictus ut nusquam ab eo pedem deflexerit.

Quousque tamen, vigente Heptarchia et durante Anglorum regno, viri litterati progressi sunt, si quis aut in historia, aut in carmine componendo aliquid auderet? Multo magis, temporibus illis, Berosii opera in manibus erant, et Boetii et Cassiodori, quam Tulliani aut Maroniani codices. In omni tamen se genere exercebant, et exstant Bedæ ipsius carmina satis numerosa et justis prosodiæ legibus parentia. Suum autem ipsi Anglo-Saxones quemdam Carolum Magnum habuere IX sæculo, Alfridium scilicet, quo regnante ad culmen res litteraria est evecta. Illo vero exstincto, præcipites ierunt Saxonicæ gentis opes, Danorum armis et incursionibus magis in dies labefactatæ. Incensa multis in locis oppida; nec ipsis bibliothecis pepercit aut monasteriis rabies Danica. Ferox et immanis ista regum externorum dominatio studia restinxit. Desponderunt animos abbates et episcopi, et antiquam indus-

triam omisere doctores, vix se satis tenebris sacrariorum tutos opinati [1]

Nec tamen in pristinam barbariem redactos homines fuisse credere est. Nulli sane scriptores X sæculi nominantur Egberto, Bedæ, Alcuino, Aldhelmo, aut ipsi Alfridio regi fama comparandi; at non defuere tamen litteris cultores, aut ipsis litteratis dignatio. Ut enim primum furiæ belli deferbuere, et domitores Anglorum Dani se ad fidem Christianam convertere, e pulvere suscitari ingenuæ artes visæ sunt. Ille nempe Canut cognomine Magnus, qui monachos ad docendos Danos suos usque in Jutlandiam misit [2], nonnihil certe favit istis quorum scientia suæ ipsius dominationi subsidio jam erat. At post illum usque ad Normannorum adventum distracta inter partes Anglia misere fuit, quum nec Danicæ stirpis reges ad obedientiam populos diversæ originis redigere valerent, nec ullus apud Saxonicæ gentis principes exsisteret qui virili dextra rerum gubernacula arriperet. Res itaque ad turbas et seditiones revertebatur, quum non magis armorum vi Normanni quam adversariorum discor-

[1] V. CAMDEN, *Britannia*, p. 147 et pass. Cf. WARTON, Op. laud. Diss. II.
[2] WARTON, Op. laud.

diis victoriam adepti sunt, et inter turbulentæ dominationis principia semina excolendæ humanitatis secum intulere.

Scilicet Normannorum expeditio id potissimum temporis cœpta est quo ingenia apud eos ad optimum cultus gradum erant provecta. Vix enim abhinc centum annis in littore Sequanæ inferiore constituti, jam mollierant avitæ indolis feritatem, et mira celeritate ingenuas artes erant amplexi. Linguam præcipue istam latinam ut propriam adsciverant, quam qui nesciret vix in communionem gentium politarum admitti posse videbatur. In iis autem regionibus ubi multa supererant Romanarum litterarum monumenta, cœpere e monasteriis bonæ artes emanare, et laicorum juxta atque monachorum manibus dispensari. Tum instituta sunt variis in locis Collegia, discipulis et professoribus laicis patentia, quæ in animo jam fundare habuerat Carolus Magnus, quæ vero, ipsa inter cunabula, temporum malignitate erant suppressa. Præcipuam inter omnes sedem obtinuere Parisiacæ illæ scholæ, quæ numero discipulorum et nobilitate magistrorum ita prævaluere ut mox titulo foret audientibus « in stramine » consedisse, magistris, ex cathedra docuisse, clericis, beneficia

ecclesiarum abbatiarumque affectantibus, Artium aut Theologiæ magisterium ibidem meruisse. Illuc confluxerant ab initio Normanni; illuc plurimos et auditores et doctores miserunt. Sic, Victoris ductu, fretum trajecit, simul atque ducum et equitum et militum ferocia, sacerdotum et clericorum et litteratorum humanitas. Secuti nempe Guillelmi signa erant viri egregii qui plerique, multis annis in Universitate Parisiensi traductis, omnia fere didicerant quæ tum cuiquam discere liceret. Circa Lanfrancum repeciuntur Hermannus[1], episcopus Saresberiensis, et Godefridus, Sancti Swithini Wintoniensis prior, et Henricus de Losinga, episcopus Thetfordensis, Normanni omnes. Et Normannicæ quoque stirpis Galfridus ille qui, ex Universitate Parisiensi, rogante Ricardo, Sancti Albani abbate, arcessitus, fretum tramisit ut Scholam Dunistabulensem institueret. Liberaliorem ex iis ingenia doctrinam hauserunt; nusquam plures numero aut cultu splendidiores ecclesiæ exstitere; nusquam major scholarum numerus; in quas admissi nullo originis discrimine et Normanni et Saxones. Monasteria a Danis diruta tum e ruinis exierunt, et mul-

[1] De quibus, vid. WRIGHT, *A. Norm. Per. pass.*

to speciosiora surrexere. Necnon rex ipse Guillelmus vulgandis litteris et scholis undique dedicandis favit. Sit satis commemorare Selbense et Battlense ab ipso fundata monasteria et traditum filium Henricum (Bellum Clericum) monachis Abbandunensibus educandum. Amplissimis vero bibliothecis munitæ scholæ sunt. Nihil magnificentius quam Sancti Albani « scriptorium[1] » . Paulini abbatis impendiis ædificatum ac decoratum. Illic fervebat industria librariorum, religatorum, illuminatorum; quisque secundum facultatem monachus transcribendis operam libris navabat. Sic alacritate scribarum compensata quodam modo est scriptorum raritas. Jusserat nempe monachos suos Lanfrancus unum volumen intra anni intervallum perlegere : quo omisso, inflexis genibus a priore aut abbate veniam coacti erant implorare. Eadem ubique studia vigebant, quum doctissimus quisque episcoporum suam in ecclesia cathedrali scholam habere gloriaretur, sive Eboraci, seu Lincolni, aut Exoniæ, aut Wintoniæ. Tres una ecclesia Londiniensis scholas sub finem sæculi XII

[1] V. Leland., *Script.*, *Brit.*, p. 166. Cf. Warton, op. laud, p. CXXXIX.

habuit. Jam ineunte sæculo memorantur Cantabrigiæ et Oxonii gymnasia. Hoc autem vel in primis documento est quanto ardore omnes ad æmulationem bonarum artium impellerentur, quod juxta ecclesiasticas laicæ multis locis erigerentur scholæ, siquidem Balduinus episcopus fertur in Exoniensi gymnasio pueros docuisse, antequam sacris ordinibus aggregaretur. Sic nullus institutore egebat quisquis edoceri cuperet. Plures autem ad se auditores attrahebat si quis trivium et quadrivium Lutetiæ Parisiorum coluisset; at multos et ipsa Britannia tum scholis Parisiensibus doctores commodavit : sic Guillelmus ille Montanus [1], Legecestria oriundus, theologiam in Monte Sanctæ Genovefæ magno favore docuit, priusquam in patria famam cathedræ suæ Parisiensis Lincolni renovavit; sic Alexander Nequamus, post annos plurimos in Universitate Parisiensi consumptos, dirigendam Dunistabuli juxta sanctum Albanum [2] scholam suscepit; sic multi alii. Fuere etiam qui, augendæ studio doctrinæ, altius transirent, neque dubitarent Pyreneos saltus superare, et in scholis

[1] Cf. Wright, *A. Norm.*, *Per.* p. 463.
[2] Id., *Ib.* p. 449.

Cordubensibus aut Toletanis[1] primos disciplinæ Aristotelicæ haustus delibare, quæ jam magis in dies ex officinis Arabum emanare cœperat. Tum se multis modis exhibuit unius cujusque facultas; inde in hujusce temporis scriptis nescio quædam relucet species libertatis se ad omnem formam ingenuarum artium efferentis.

Quousque tamen processisse credere dignum est ista doctrinæ et humanitatis lumina quæ tanto splendore in quorumdam delectorum virorum cœtu tum præfulsere? an paucorum elegantiæ multitudinis cultus respondebat? Necesse erit fateri, si propius inspiciamus istius XII ætatis mores, plurima claudicare, multum a recto vitæ tenore plerosque homines deerrare. Ubique certamen esse videtur inter immanem morum corruptelam aut crudam barbariem et excultioris vitæ irritamenta ac deli-

[1] Sic Daniel Mellæensis (de Meslay), diœcesi Norovicensi oriundus, cujus testimonium profert Th. Wright, narrantis se Toletum ultro contulisse (c. ann. 1175), quo altiorem philosophiam in scholis occidentis Europæ neglectam attingeret, ac Platonis Aristotelisque disciplinam apud Arabas in Hispania edisceret. « Quoniam doctrina Arabum, quæ in quadrivio fere tota exsistit, maxime his diebus apud Toletum celebratur, illuc, ut sapientiores mundi philosophos audirem, festinanter properavi »: sic ille in Præfatione tractatus *de Naturis Inferiorum et Superiorum*. Vid. apud Th. Wright (*A. N. Period.*, p. 227), in extenso locum.

cias. Jam ut ab ipso principe initium capiamus, inquinantur apud eum optimæ institutionis fructus prompto ad extrema omnia furoris impetu. Obstrepit regia domus reginæ Alienoræ et regis, inter se altercantium, clamoribus. Solvuntur ad omnem luxum trium filiorum adolescentium animi, nec isti ferrum invicem lacessere desinunt, nisi quum, instigante matre, arma sumunt contra patrem, et incendio ferro que provincias late vastant. Nec remissiora sunt optimatum ingenia : illis exprobrat J. Saresberiensis [1] flagitia et libidines, et crapulam, et effusum post infinita convivia cruorem ; corpora venationibus et diris prœliorum simulacris trita consumptaque. Pro religione crassas plerumque superstitiones et magicæ artis incantamenta sectantur.

Quod si quis putet se apud religiosos saltem viros meliorem vitæ formam inventurum, abstineat abbatum et episcoporum gravissimas in sacerdotes et monachos animadversiones legere. Haud multo enim saniores sunt claustralium quam curialium mores : simultates inter se et invidiam, aut adversus superiores contumaciam exercere solent ; ignorantia, inertia et

[1] *Polycr.* (Oxonii 1848, t. III, c. 9).

omni libidinum genere laborant. Jam minoris pretii habetur honestæ castæque vitæ commendatio. Dolet et apud ipsum Henricum II Guillelmus de Conchis[1] tantum ab antiqua regula episcopos deflexisse ut ad se non probatissimos virtute clericos, sed quo quis nobilior aut opulentior sit, admittant; sicque beneficia ecclesiastica non ad dignissimos, sed maxime ambitiosos devenire. Vetus est illa conclamatio, nec semel in medio ævo personabit.

Luce clarius est non altas in solo isto radices humana studia protulisse : dicas confligere inter se inhærentem barbaris ingeniis asperitatem et implicitam libris antiquis disciplinam; quod quidem certamen per omnes medii ævi annos quodam modo continuatur. Nullo tamen tempore propior bonarum artium victoria potuit videri quam in XII illo, latinarum litterarum aureo vere sæculo.

Multa scilicet, quæ sequenti ætate apparebunt et clam inserpunt, vitia latent adhuc et orationem nondum inficiunt. Plurima quidem recentioris notæ vocabula Tullii et Quintiliani sermonem jam pridem invasere : certe incolu-

[1] Cf. Th. Wright, *A. Norm. Per.*, p. 174.

mis restat verborum et sententiarum coagmentatio, nec contra syntaxim peccatur. Jus sane civile discitur, at rigidis scholasticæ disciplinæ vinculis nondum implicatur; nondum se philosophia totam intra finitionum augustias coarctavit; nondum obturatæ sunt jurgiis interrogantium invicem ac respondentium aures, aut asperata vepribus logicæ horridis ingenia.

Nec mirum, quando clerici primas inter æquales doctrina et humanitate partes obtinerent, si in omni varietate litterarum abbates et episcopi et ecclesiæ Britannicæ præsules id temporis inclaruerunt. Vigente Henrico rege et favente, haud temnendi annalium scriptores floruere Guillelmus Malmesberiensis [1], et Guillelmus Neubrigensis [2], et Henricus Huntindonensis [3], et ille in primis summæ facundiæ, miræ subtilitatis Giraldus Cambrensis [4], qui magnam Britanniæ et Hiberniæ partem, callidus locorum inspector et hominum, permensus est, et res private gestas commentariis illustravit, quique adeo regi Henrico placuit ut nihil non ambitioni suæ videretur posse pro-

[1] *De Gestis regum Anglorum* libri V, Londini 1596.
[2] *De rebus Anglicis* libri V, Paris 1610.
[3] Henr. Huntind., *Hist.* libri VIII, Lond. 1596.
[4] V. Th. Wright, *A. Norm. Per.* p. 380-397.

ponere, hoc uno tamen infelix quod a vetustis Walensium regulis originem duceret, ob id ipsum a summis dignitatibus submotus. Contra sapientissimus Balduinus Devonius rebus publicis abstinuit, peculiari episcopatus officio contentus, sive monitionibus austeris delapsos ab antiqua morum sanctitate monachos et clericos ad virtutem revocaret, seu itinere per pagos Walensium facto, milites, ut dixi, Christo suscitaret. Verum, inter illos scholarum institutione perpolitos et antiquitati deditos, fama eminuere Joannes Saresberiensis et Petrus Blesensis. Ille post XII annos in Parisiensi Universitate transactos, convictor Thomæ Becketii, dein exsilii socius, in patriam demum restitutus, principum gratiam vicissim amissam et reconciliatam expertus est. In *Metalogico* suo carpit mores studiosorum quos propius viderat, derisa scholasticorum arrogantia se formulis et argutiolis alentium; at in *Polycratico* hominum opulentorum vitam inter compotationes et luxus districtam notat. Cujus latinitas, multis salibus interpuncta, et Juvenalis, necnon Horatii Persii que versibus exornata, sapit discipulum ethicorum, et hominem in pingendis æqualium vitiis nec copia, nec festivitate, nec vigore carentem.

At vero Petrus Blesensis, primum secretis Thomæ Becketii admissus, post archidiaconus Bathensis declaratus, sedulo meram latini styli notam in *Epistolis* suis assectatur; se discipulum Ovidii Persiique et Senecæ et Terentii nuncupat, et quamvis plurima, ut æquales solent, vocabula novet, orationem suam ornamentis ab optimo quoque Latinorum assumptis insignire gestit. In utroque autem haud facile dixeris vim inventionis eximiam eminere; dum enim floridam aliquam et tumidam sermonis elegantiam captant, sæpius in vacuam et elaboratam dicendi ambiguitatem delabuntur, dum se Quintilianos putant et Senecas, more Tertulliani aut Hieronymi locuti. Obstat sincerus tamen antiquitatis amor quominus usque ad barbariem unquam evilescant.

At fructus nulla in parte lætiores quam in carminibus exhibuit Normannorum diligentia. Jam ab initio quædam affinitas cum poetica latinitate Anglis esse visa fuerat. Vel quum ad remotiorem memoriam nosmet ipsi referimus, videmus scholasticos se poetis applicantes. Quod jam ille gravis *Historiæ Ecclesiasticæ* auctor Beda sic, vel invita Minerva, confitetur:

Bella Maro resonet; nos pacis dona canamus,

Munera nos Christi; bella Maro resonet.
Carmina casta mihi; fœdæ non raptus Helenæ,
Luxus erit lubricus; carmina casta mihi;
Dona superna loquar, miseræ non prœlia Trojæ;
Terra quibus gaudet dona superna loquar.. etc..[1].

Docet nimirum vir pius se « ante annos plurimos » hymnum illum « in laudem ac præconium » Edildridæ « reginæ ac sponsæ Christi... elegiaco metro consuisse »; at nihilominus ipse iterum hexametros in vita Sancti Cuthberti inscripsit, et se haud absurdum rei poeticæ exactorem in suo *de Arte Metrica* tractatu præbet, ubi exempla profert ab optimis Christianorum poetarum assumpta[2]. Præcipue tum in honore videntur fuisse Sedulius, Prudentius, et ceteri quorum exemplaria inter codices illius temporis frequenter inveniuntur[3]. Sed jam

[1] V. *Hist. Eccles.*, IV, c. 20, hymnum de Edildrida regina, eademque virgine — (Bedæ *Opera*, Ed. *J. A. Giles*, Londini 1843-44, 12 vol. in-8°).

[2] Cf. Th. Wright, *A. Sax Period.*, p. 278.

[3] Comparebant VIII sæculo in catalogo Eboracensis bibliothecæ inscripti, teste Alcuino (V Wright, *Liter. and Superst.* I, p. 54) Sedulius, Juvencus, Alcimus (Avitus), Clemens (Prudentius), Prosper, Paulinus, Arator, Fortunatus, et, inter veteres, Virgilius, Statius, Lucanus Iidem fere poetæ versabantur in bibliotheca, qua Leufricus episcopus, priore XI sæculi parte (c. 1050), donavit Exoniensem ecclesiam (Cf. Wright, ib. p. 39). Sub fine ejusdem sæculi augetur in codicibus numerus poetarum qui ad priorem latinitatem pertinent, ut Virgilius, Horatius, Terentius, Juvenalis, et alii. Inter libros Leufrici episcopi perhibetur exstitisse Persii exemplar, elegantissima manuscriptum, nunc in Bodleiana Bibliotheca (teste Warton, *Hist. of Engl. Poet.* I, p. CXV) asservatum.

apud litteratos et nomen Virgilii et versus etiam suppetunt. Nec multum profecto assurgunt Beda, Alcuinus, et si quis alius id temporis aliquam versibus operam impertitur; tamen exemplo ac præceptis doctissimorum magistrorum additur carminibus pretium et æstimatio, et plurimi inter discentes ad egregia Musarum studia invitantur.

Verumenimvero latius in eodem curriculo scholastici progressi sunt, ubi in Britanniam immigravere poetæ melioris notæ ac felicioris ingenii, e monte Cassino aut amplis Italiæ bibliothecis cum peregrinantibus importati, Virgilius tandem integer, Horatius, et ceteri, scriniis antiquis hactenus inclusi. Conscriptiones intra IX præsertium et XI sæculum plurimæ notantur. At exstant etiam nunc in Britannico Museo exarata VIII intra et X ævum Terentii fabularum duo exemplaria, et, ne a poetis recedam, Æneidos fragmentum, Ovidii Metamorphoseon et Fastorum libri, Horatii, exceptis Odis, opera [1]. Lelandum autem interroget, si quis animo concipere velit multitudinem manuscriptorum in diversis monasteriorum catalogis ab ipso collectorum [2]. Elanguit sane librariorum industria

[1] V. Warton, op. laud. p. CXX sq. q.
[2] Leland; *Script. Britann.*, pass.

priore sæculi XI parte, quum lacerata bellis intestinis Anglia foret. Sed ubi, post armorum tumultus et cladem Hastingensem, pax Britannis quodammodo reddita, instauratus est transcribendi labor, instigante Lanfranco et doctissimo quoque Normannorum, ad multos etiam alios auctores extentus. Tum cœpere scribæ Statii, nec non Val. Flacci, Sil. Italici, Claudiani, Martialis, Senecæ tragici, Plauti, Persii poemata vulgo exarare, maximo sane studio, quippe quorum, et Statii præsertim, multi codices XI et XII seculo imputentur. Assuevere scholastici familiare cum poetis commercium jungere, ad quos liberior cotidie patuit aditus; ludus is gratissimus esse visus est omne compositionis poeticæ genus explorare; elegantiæ, aut leporis, aut dicacitatis formam aliquam apud Statium, aut Ovidium, aut Martialem mirabantur omnes, quam pro virili parte adipisci multi et sibi assumere, nec infeliciter quidem, conati sunt. Conscientia interdum aliqua retardati, dubitare videntur parumper et hæsitare doctissimi sane illi, at ecclesiastici tamen viri, ne, admiratione antiquitatis nimia allecta, paganorum quoque errorum illecebris imbuantur discipulorum ingenia; non ægre tamen sibi viam aliquam muniunt, qua voluptati suæ, salva

fide, consulturos se viri optimi confidunt. Obstat aliquando et refragatur religioni venditandi proprii ingenii cupiditas; et Petrus ille Blesensis, postquam fratrem vehementer per litteras objurgavit quod « in fabulis paganorum, in philosophorum studiis, tandem in civili jure dies suos usque in senium expenderit[1], » sic ad nepotem scribit[2] : « Mitte mihi versus et ludicra quæ finxi Turonis (qua in civitate elementa litterarum doctus fuerat), et scias, quum apud me transcripta fuerint, eadem sine dilatione aliqua rehabebis. »

Quod superest, eo poetarum proventu id temporis abundat Britannia ut manifesto appareat non uni aut alteri tantum arrisisse Minervam, sed plurimos in monasteriis sibi deditos habuisse. Pentametrum in primis summa venustate tractant, sive inter regales curiæ delicias Henricus Huntindonensis[3] semet fortunæ instabilis admoneat, et, prædiorum fructibus dives, mentis egestatem leni risu denuntiet; seu prior Dunelmensis, Laurentius[4], re-

[1] PETR. BLES., Ep. 76. Cf. WRIGHT, *Biogr. Brit. Liter.* (*Angl. Norm. Period.* p. 371.)
[2] PETR. BLES., Ep. 12. Cf. WRIGHT, *ib.* p. 371.
[3] V. WRIGHT, *ib.* p. 168.
[4] V. ID. *ib.*

pudiatis procerum officiis, comparet cum præsenti solitariæ vitæ beatitudine vincula curialium, et tumultus cupiditatum, et tabescentes curis animos, quodque jurgia et tesseras, et erit ludos et volucres, et canes et strepitus effugerit ipse sibi gratuletur. Godefridus vero, prior Wintoniensis, Martialis sales et alacritatem in Epigrammatibus fertur lepidissime æmulatus. Ea autem vena fluunt Joannis Saresberiensis joci, ut in *Entheticum* ille, *Polycratico* suo præpositum, exundantem adversus curiales bilem dicacibus pentametris effuderit. At cur taceam festivum illum Cantuariæ præcentorem, Nigellum Wirekerum, qui contra Clericos tela poetica vibrat, et, intento stultorum universitati speculo, monachos lacessit æque candentibus atque nigris tunicis indutos [1], et Canonicos, sive claustrales, seu extra claustra degentes, impugnat, et in ipsas claustrenses virgines, præcipue Abbatissas, acerrimos facetiarum suarum aculeos depromit? In insectatione vero scholasticorum scholas Parisienses celebrantium, socium habet

[1] Hi nihil excipiunt, nec dicunt despiciendum,
Quidquid in obsequio corporis esse potest...

et cetera e *Speculo Stultorum* deprompta a Th. Wright (*A. Norm. Period.*, p. 350) Cf. ID., *Liter. and superst. of Engl.*. I, p. 181, sq. q.

Joannem Annævillensem, cujus *Architrenius*, licet inter nubes inanium inventionum sæpissime deerret, pedem aliquando ad terras flectit, mores Anglorum suorum et rixas popinantium vividis coloribus adumbraturus[1]. Contra ab istis sordibus longe repugnat elegans ille et purus abbas Coriniensis, Alexander Nequamus : qui grata dicendi copia vitæ religiosæ gaudia et jucunditatem laudat[2]; tum impetu ipse in hostem facto, profusos in luxum optimates et in comissationibus pernoctantes, et magna corporum contentione equos per sylvas et saltus fatigantes, et exhaustas vires vino ciboque immodico reparantes increpat. Necnon et mundo muliebri, fucoque et gemmis, et cunctis vestium irritamentis bellum indicit, et parum videtur curare nobilium matronarum

[1] V. Th. Wright, *A. N. Period.*, p. 251 :

Consedere duces, et vulgi stante corona,
Surgit ad hos pateræ dominus septemplicis Ajax
Anglicus, et calice similis contendit Ulysses.
Hæc ibi funduntur Baccho præconia... etc...

[2] V. Th. Wright, *ib.* p. 453. Cf. id. *Liter. and superst.* t. I, p. 193, sq. q.

Grex sanctus, monachi, vobis hæc scribimus, hæc vos
Instruit, hæc vitæ pagina monstrat iter...
O dilectores mundi, falsique potentes,
Ecquid terrenas esse putatis opes?...

iras[1]. Majora etiam, si credimus d. Wright[2], aggressus idem erat, quippe cujus exstet in Museo Britannico manuscriptum poema, cujus fragmenta a d. Wright laudata habes, in quo amplissimam erat ille conatus rerum naturæ imaginem absolvere, quum et terras, et maria et gentes describere, rursus et hominum mores, et scientias, et artium miracula amplecti, hæc omnia vasto X librorum circuitu emcursus[3].

At quid mirum tam multos carminum amatores eodem tempore exstitisse, quum tantis ad condenda carmina incitamentis ingenia impellerentur? Unus ex probatissimis humanitatis sæculo hoc XII magistris, Bernardus Carnutensis, discipulos monebat ut multam tractandis versibus operam darent, poetas perlegentes et memoria discentes, et varia exercitatione poeticam per se ipsi facultatem exercentes[4]. Sæculo eodem exeunte, Galfridus de Vinosalvo, in schola sancti Frederici Oxoniensis edu-

[1] Femina, fax Sathanæ, gemmis radiantibus, auro
Vestibus, ut possit perdere, compta venit... etc...

[2] Th. Wright. *A. Norm. Period*, p. 454, sq. q.

[3] V. Th. Wright, *Angl. Norm. Period.*, p. 454, sq.q.

[4] V. J. Saresberiensis *Metalog*, I, c. 24. Cf. P. Blesensis *Ep.* 101 (*Patr. Eccl. Anglic.* Oxon. Parker, t. 49, p. 315 sq.q.)

[5] V. Th. Wright, *ib.* p. 398-402.

catus, ex imitatione Flacci Artem Poeticam, indigestæ necnon putidæ eruditionis præceptis refertam, Romæ edidit, Innocentio III pontifici dedicatam, et multos annos postea sub nomine Horatii vulgatam.

At genus omnium vel præcipuum, epicum, apud poetas XII sæculi Britannos excultum esse, vel unus documento queat Iscanus esse; cujus Bellum Trojanum subinde evolvam, ubi de ipsius poematis fonte et origine quædam subjunxero.

CAPUT III

QUOMODO AD FABULAM TROJANÆ ORIGINIS POTISSIMUM ADVERTERENTUR MEDII ÆVI TEMPORIBUS INGENIA.

Quum, post eversum a barbaris gentibus Romanum imperium, in manus resumere cœperunt monachi Virgilii et poetarum latinorum libros, magna cum admiratione legerunt inclitum illum universi orbis late dominatorem populum ab Ænea Trojano ac profugo originem gloriari suam repetere. Præstrinxere oculos fabulosæ illius antiquitatis documenta, et magnum existimaverunt fore si eodem titulo prosapiæ Trojanæ superbire sibi liceret. Nec difficile admodum fuit aliquem satis honestum stirpis istius auctorem invenire. Nonne enim et a poetis traditum erat magnam Trojanæ gentis partem ab Asiatico littore profugisse? nonne, ut Æneæ, sic Antenoris, quoque

notuerant et aliorum inter Trojanos procerum, patriæ quærendæ causa, per maria errores ? Nec defuit in eo genere vis excogitandi, aut fides inventis. Jam apud auctorem rerum Gallicarum Fredegarium, inde a VII sæculo reperitur « bonam partem Trojanorum exsulum, peragratis multis regionibus, sibi regem Francionem elegisse, a quo suum Francis nomen additum esse. » Statim eam arripuere plurimi fabulam, quæ omnibus fere historicis identidem irrepsit, vix uno excepto Gregorio Turonensi. Nec ipse quidem videtur fuisse istius mendacii repertor Fredegarius, sed fabulam jam antea vulgatam in librum induxisse suum. Altius sese et usque ad Romanam apud Gallos dominationem fabula ista referebat. Idem nobilissima Æduorum civitas præ se ferebat[1], idem de Arvernis testatur non sine quadam contemptione Lucanus[2]. Innocuum

[1] « Una mehercule nostra vel severa vel jocosa congressio pluris erit quam non modo hostes sed etiam fratres nostri Ædui. » (Cic., *Ad. Div. Ep.*: *ad Trebat.* VII, 10).

[2] Arvernique ausi latio se fingere fratres
Sanguine ab Iliaco...
(Luc. I, 427)

Et Sidonius Apollinaris, Arvernis oriundus :

Est mihi quæ Latio se sanguine tollit alumnam
Tellus clara viris...

sane visum est notæ Gallorum jactantiæ concedere istam cum populo victore consanguinitatem, qua superbientes jugum facilius toleraturi erant.

Nec mirum barbarorum reges, vix fines clarissimi imperii ingressos, et se honestamentis romanæ majestatis decorasse, et Romanam sibi originem vindicasse, quippe qui opinarentur se minus ægre Romanorum imperio successuros, si jus victoriæ quodam hereditatis jure subniteretur. Nemo autem tunc eam affinitatem revocavit in dubium; cujus opinio, libris vulgata, per sæcula ita transfertur ut Carolus Calvus in Charta, ut Dagobertus antea, « præclaro et antiquo Trojanorum sanguine natos » Francos pronuntiet [1].

Nec apud Sigambros solum aut Germanos ea commenta percrebuere; nulla non ex barbaris gentibus partem sibi potentiæ accedere credidit, si quasi in vacantem nominis trojani possessionem sese insinuaret. Hoc et Normanni fecere. At quoniam Francione, Hectoris filio, Franci erant potiti, contenti sunt auctore paulo minis illustri, et Antenorem nuncupavere genitorem. Promptum chronographo Dudoni de

[1] V. Joly, p. 615.

Sancto Quintino[1] visum illum, ad Illyricos sinus appulsum, per profundos Germaniæ recessus perducere, et sive Dacis, seu Danis (confundebat enim nomina) regem et proavum tribuere. Narravere idem postea Guillelmus Gemmeticensis (in *Historia Normannorum*, I, 4) et Guillelmus Pictavensis (in *vita Guill. Conquestoris*), qui vulgo rebus Trojanis alludunt, poetis viam ostendentes, quum vim Conquestoris cum virtute Hectorea comparant, et istam obsidionis Trojanæ diuturnitatem victoriæ de Saxonibus celeritate premunt[2].

Credere licet prorsus ignorasse ficticiam istam originem Saxones qui, cum Anglis mixti, Britanniam priores occupavere : nihil sane tale apud Bedam dignoscas. Verisimile tamen est indigenas Britanniæ Celtas qui sub dominatione Romæ tot sæcula degissent et penitus mores et cultus Romanorum imbuissent, quædam a victoribus de Troja accepisse; at nusquam in lucem prodiisse Trojanæ affinitatis fabulam credibile est, quamdiu viguit Anglorum, dein Saxonum dominatio : siquidem prima Trojanæ originis mentio fit in incondita

[1] V. Joly, p. 617.
[2] V. Joly, p. 618.

ista et barbara commentorum congerie, cui titulus inscribitur *Eulogium Britanniæ*, sive *Historia Britonum*. Quo in libello Britonem memoratur quemdam sive Brutum, Sylvii filium, proavo Ænea, post interfectum fortuito patrem, exsulare ab Italia coactum, pervenisse in Galliam, ibique conditam urbem de Turonis cujusdam, militis sui nomine dedicasse, post ad insulam devenisse quæ ab ipso nomen Britanniæ receperit (C. 3) ; inde exstitisse infinitam regulorum seriem, Bruti pronepotum.

Hæc garriverat sive Nennius, seu Gildas, seu quis alius subditicius auctor, sane ante primos XII sæculi annos ignoratus, quum Galfridus Monumetensis, ineunte eodem sæculo, vir omnis curiosus antiquitatis, latinam simul linguam et Celticam percallens, magnum opus de origine et gestis regum Britanniæ suscepit, his verbis consilii sui ratione reddita[1] :

« Quum, multa mecum et de multis sæpius animo revolvens, in historiam regum Britanniæ inciderem, in mirum contuli quod intra mentionem quam de eis Gildas et Beda luculento tractatu fecerant, nihil de regibus qui

[1] Galfr., *Monum. Hist. Britonum*, Oxonii, 1846.

ante Incarnationem Christi Britanniam inhabitaverant, nihil etiam de Arturo, ceterisque compluribus qui post Incarnationem successerunt repperissem; quum et gesta eorum digna æternitatis laude constarent, et a multis populis quasi inscripta jucunde et memoriter prædicentur. Talia mihi et de talibus multoties cogitanti obtulit Walterus, Oxinefordensis archidiaconus, vir in oratoria arte atque in exoticis historiis eruditus, quemdam britannici sermonis librum vetustissimum, qui a Bruto, primo rege Britonum, usque ad Cadwaladrum, filium Cadwalonis, actus omnium continue et ex ordine perpulchris orationibus proponebat. Rogatu illius itaque ductus..., codicem illum in latinum sermonem transferre curavi. »

Ita ad Walteri et Galfridi ætatem latuerat in obscuris Celticæ linguæ cantilenis tumulata potius quam servata laus Arturi : quod valde doluerant archidiaconus Monumetensis atque ejus amicus. Nihil inde mirum si viri optimi, dum tanta concordia lapsæ illius gloriæ succurrebant, aliquid de se et veterum Bardorum inventis addiderunt. Tum primum Arturi et clarissimi ejus monitoris Merlini nomen, non multum Armoricæ, aut Walensium et Cambrorum fines evagatum, ad lucem meliorem et ad

notitiam litteratorum evasit. Sic generis nobilissimi beneficio ditatus Arturus in cœtum ma gnanimorum heroum Trojanam originem jactantium admissus est. Nec operosum Galfrido et ejusdem ætatis scriptoribus visum est nectere vinculum affinitatis inter Arturum et remotissimum illum Brutum jam a Nennio celebratum. Gravissimi certe historici mendaciis obstitere, quorum ita in promptu erat fontem indicare. Indignatur Guillelmus Neubrigensis[1] « quod fabulas de Arturo, ex priscis Britonum figmentis sumptas et ex proprio auctas, per superdictum latini sermonis colorem, honesto historiæ nomine Galfridus palliavit. » Cambrensis autem Giraldus irridet « famosum istum, ne dicam fabulosum nostrum Arturum. »

[1] ... Quidam nostris temporibus... scriptor emersit, ridicula de iisdem (Britonibus) figmenta contexens, eosque longe supra virtutem Macedonum et Romanorum impudenti vanitate attollens. Gaufridus hic dictus est, agnomen habens Arturi : pro eo quod fabulas de Arturo, ex priscis Britonum figmentis sumptas et ex proprio auctas, per superdictum latini sermonis colorem, honesto historiæ nomine palliavit. Qui etiam, majori ausu, cujusdam Merlini divinationes fallacissimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit dum eas in Latinum transfunderet, tanquam authenticas et immobili veritate subnixas prophetias vulgavit... Præterea in libro suo, quem Britonum Historiam vocat, quam petulanter et impudenter fere per omnia mentiatur nemo nisi veterum historiarum ignarus, quum in librum illum incidit, ambigere sinitur... » Habes commotiora Guillelmi verba (V. Guill. Neubrig. *De Rebus Britannicis*, in procemio. Heidelberg, 1587).

Nihilominus omnes certatim et chronographi et poetæ hac tanquam præda lætantes potiti sunt. Quin Cambrensis idem Giraldus nonne Trojanam et ipse originem inter Cambrensium suorum decora annumerat?[1] At quis istis omnibus diffidere ausus esset, quum testis vel Homerus plerumque arcesseretur a Bruto fundatum esse Turonensium oppidum? Conspiravere in idem prisci Walensium et Cambrensium cantus, et quædam certis locis inhærentes fabulæ, et ad omnia naturæ ordinem excedentia parata vulgi credulitas. Nonne grandia peregrinis apud Walenses iter facientibus ostentabantur ossa gigantum a comitibus Bruti fusorum? nonne eminebat proxima freto rupes unde, lucta inter immanem Gogmagog et Corinæum fortissimum habita, in scopulos gigas iste fuerat præcipitatus?[2] Quis et miracula natalium Arturi in dubium ausus esset revocare, infantiam per artes Merlini nutritam, et certamina contra hostes publicos per tot annos invicta fortitudine edita? quis non inter Celtas, aut Cambros, aut Britones, insulæ priores incolas, a Saxonibus pridem, post a Normannis devictos, ra-

[1] Giraldi Cambrensis, *De Illaudabilibus Walliæ*, c. 7.
[2] V. Camden. *Britannia*, p. 145, Cf. Galfr. *Monum.* I, 16.

tum certumque haberet Arturum regem non inter prælia mortem obiisse, at vero ex oculis suorum ereptum esse, et e latebris aliquando egressurum, et terram in manus civium repositurum ? Hæc cecinisse Merlinum perhibebant, nemini suspectum vatem. Nec victores Normanni adversabantur opinioni per quam Britonibus genere proximi et velut consanguinei fiebant, et videbantur Waliæ et Cambriæ indigenas, tanquam fratres, remoto detestabili Saxonum jugo, vindicasse in libertatem. Sic, conjurante cum Normannorum indulgentia Britonum simplicitate, fabula veritatem obruit, et expulere historicos poetæ. Pullulavit enim poetarum cohors, prodigiorum, ut fit, amatrix quæ videntur ingenio adspirare. Eadem eodem tempore commentantur et ii qui latine loquuntur, et si quid alii patrio sermone ludunt. Est in Archithrenio Joannis Annævillensis splendidus excursus de primis Britanniæ istius fabulosæ temporibus. Tenebant locum Titanes, spoliis ferarum crudis cincti, carne hominum vescentes et cruorem haurientes ; occidentalem isti præcipue insulæ partem infestabant,

monstrisque gemebat
Monticolis tellus.

Ecce appelluntur ad littus Bruti rates, et

alter Achilles
Atridæque timor Corinaeus, serra gigantum,

emicat, et manu cum horibili adversario conserta,

cubitis ter quattuor altum
Gogmagog herculea suspendit in aera lucta,
Antæumque suum scopulo detrusit in æquor.

Canebat idem in Antiocheide sua, si Lelando credimus, noster Iscanus :

His, Brutus avito
Sanguine Trojanus, patriis egressus ab oris,
Post casus varios consedit finibus, orbem
Fatalem nactus, debellatorque gigantum,
Et terræ victor nomen dedit... [1]

Nec Brutum tantum noster carmine celebraverat; sed, nullo habito temporum discrimine, mixtis fabulosis cum veris, consociarat in ejusdem præconii laudem omnes Britanniæ alumnos, et Brennum et Constantinum, et militem Cæsariani belli Scævam, unum denique cunctis præstantem Arturum, quo in pariendo se quasi exhauserat heroicæ telluris fecunditas :

Inclita fulsit
Posteritas ducibus tantis, tot dives alumnis.

[1] Ex LELANDI *Commentariis ad cycneam cantionem...* (Bibl. Mazarin, n° 17960).

Tot fecunda viris, premerent qui viribus orbem
Et fama veteres. Hinc Constantinus adeptus
Imperium, Romam tenuit, Byzantion auxit.
Hinc Senonum ductor, captiva Brennus in urbe,
Romuleas domuit flammis victricibus arces.
Hinc et Scaeva satus, pars non obscura tumultus
Civilis, Magnum solus qui mole soluta
Obsedit, meliorque stetit pro Cæsare murus [1].
Hinc celebri fato, felici floruit ortu
Flos regum Arturus..... Quemcumque priorum
Inspice : Pellæum commendat fama tyrannum ;
Pagina Cæsarcos loquitur Romana triumphos ;
Alciden domitis attollit gloria monstris ;
Sed nec pinetum coryli, nec sidera solem
Æquant. Annales Graios Latiosque revolve :
Prisca parem nescit, æqualem postera nullum
Exhibitura diem. Reges supereminet omnes,
Solus præteritis melior, majorque futuris [2].

Arturi autem proavi multi ex ordine recenseri solebant. Successerant Corinæo, priori Cornubiæ fundatori, filius Iulus, et Pandrasus tertius, et quartus Sylvius ; at cur reliquos computem usque ad Gorloem regulum ? Quo regnante, victus amore reginæ Iogernæ, Pendragon, id est Britonum dux, Tintagel in arcem irrupit, quo castello asservabatur Iogerna, mentitus que, per dolos Merlini, conjugis Gorlois habitus, et in thalamum insciæ uxoris admissus, eam fatali Arturo, incolumi castitate, prægnantem reliquit. Quam penitus autem talia in

[1] V. Leland. op. laud.
[2] Ex Camdeni *Remaines*, etc..

animos descendissent interpretari licet, quum XVI sæculo videmus emunctæ naris et summæ eruditionis virum, Lelandum, refutantem post tot annos ista mendacia et bellum contra vigentes etiam tum superstitiones gerentem. Ipse versus Alexandri Nequami, et Iscani, et Annævillensis refert, hæc in modum cavillantis ad dens : « His aliisque multis edocti Britanni testimoniis sane luculentis, jure quodam optimo Brutum tanquam sui generis indubitatum parentem mordicus retinent, et præcipue Cambri. Liceat nunc Britannis cum bona venia originem a Trojanis et a Bruto suo repetere. Fecerunt idem et Itali, et Galli, multæque aliæ gentes, gloria infinita illa Trojani nominis allecti... »

Sed quam tenaciter mentibus hæreant, quam ægre e poeticis finibus exterminentur istæ, speciem quamdam pulchritudinis præ se ferentes, fabulæ, vel hoc documento est quod Joannes ille Miltonius, quum jam, heroico aliquo æstu instinctus, Musæ in sinu ferventis conscius foret, ad obsoletam illam, plenam tamen nescio qua dulcedine materiam præversus est.

Ipse ego Dardanias Rutupina per æquora puppes
Dicam, et Pandrasidos regnum vetus Inogeniæ...

**Et tandem Armoricos Britonum sub lege colonos :
Tum gravidam Arturo, fatali fraude, Iogernen,
Mendaces vultus assumptaque Gorlois arma,
Merlinique dolos....**

Ergo sit noviciis illis medii ævi poetis hæc, si qua egeant, excusatio, quod materiam eamdem paulisper in manus sumpserit et, ut ita dicam, versaverit magnus Miltonius.

Sed jam ad XII sæculum regrediamur.

Erant nimirum invitati et tanquam compulsi ad Trojam cuncti, sive latina, seu vulgari oratione uterentur Britannici poetæ. Nullo enim fieri pacto poterat ut ea civitate diutius abstinerent quam propius intueri se crederent et quasi manu contingere. Ægre nempe hujuscæ ætatis homines temporum discrimina mente concipiebant; uno eodemque fere tenore continuari rebantur et quæ sub oculis modo erant transacta et quæ multos ante annos evenerant; omnes, quæcumque terrarum orbem obtinuissent, gentes, et moribus et institutis, et toto genere vivendi, promiscue conjungere solebant, nec satis animo dispiciebant quam multa, quantis annorum spatiis distantia, inter Trojanos, et Britones, et Normannos, essent interposita. Sic eruditi homines et scholastici, flumine temporum paulatim retroacto, ab Arturo ad Brutum Brutique comites fabulosos regressi, mox ad Ænean

ipsum quasi gentis proavum pervenere; tum passis ad ventum velis, recto cursu ad oras Troïcas appulerunt.

Haud ignoro quidem aliam et præcipuam a doctissimis viris causam proferri cur tantopere floruerit inter medii ævi homines Trojanæ originis fabula, scilicet Virgilii et Æneidos prævalidam auctoritatem; nec me fugit quid in hac re Dunger[1] senserit aut Comparetti[2] pronuntiet. Scio permultos fuisse tum in monasteriis et scholis Virgilio lectores, nec ullum opus a librariis sæpius transcriptum fuisse quam Æneida. Hoc tamen statuo, quod mox ostendere conabor, non minus Iscanum Statio aut Claudiano quam ipsi Maroni debuisse. Imo ille qui idem, quod Iscanus, annis ferme LX post, argumentum tractavit, Albertus Stadensis, in Troilo suo, usque ad satietatem Fastos, aut Amores, aut Heroïdas Ovidii, Statii interdum Thebaida, et velut Mysorum istam prædam invadit, nihil aut fere nihil mutuatur a Virgilio[3]. Item, nusquam re-

[1] V. *Die Sage vom trojanischen Kriege*... p. 6.

[2] V. *Virgilio nel medio Evo*...

[3] Quam parum debeat Virgilio Iscani stilus æstimare poterit qui leget (III, 361) diras Cassandræ in Paridem preces, aut Priami regis, Neoptolemi dextra mactati, (VI, 790) interitum, quamvis in adumbrandis puellæ vaticinantis furoribus, libri VI sibyllam, in effingenda autem Priami nece, libri II narrationem meminerit. In neutra descriptione noster temnendus : at suo ingenio, quod minime Virgilianum est, utitur.

cordatur præconem Æneæ Benedictus Maura-nus, quippe qui nonnisi Homeri nomen a Darete suo receperit. Nec aliter ipse Iscanus, licet in omni litterarum varietate versatus et multo, ut facile est dignoscere, Maurano eruditior; tantum enim abest ut Virgilii se auctoritate tueatur, ut ne personæ quidem pii Æneæ parcat, et Anchisiaden fœdo isto, apud Daretem invento, proditionis crimine obruat. Rogo ego an, in animo legentis, quædam Maronianæ imitationis indicia compensare queant capitale istud cum Virgilio discidium. Nempe explosus est a sordido eo, quem infra pro meritis tractabimus, Darete, Virgilius; quum enim prorsus ambo inter se discreparent, optari alterutrum oportuit : Daretem porro sequendum et alii et Iscanus sibi proposuere, neutiquam retexendum aut refingendum Virgilium[1].

Longius autem progressus, hoc adjiciam, quo magis scilicet increbrescat Trojanæ fabulæ celebritas, eo magis imminui et infirmari Ma-

[1] Atque hic valde comprobo quod Joly prudentissime animadvertit, apud invenusta illa, sed miro pariendi æstu ferventia medii ævi hominum ingenia, non valere litteraria opera prout eximia sint et summæ pulchritudini proxima, sed prout secundare vim inveniendi videantur ; multo autem ampliorem inventionibus suggeri copiam cicatricosa ista et salebrosa Daretis farragine quam perfectis illis et meram antiquitatem redolentibus Virgilii carminibus.

ronis auctoritatem. De quo libet D. Dunger ipsum antestari. Memorat quippe, in suo de fabulis Trojanis libello, vir nullius expers argumenti ad quæstionem pertinentis, inde ab XI Christi nati sæculo, versibus consonantibus sive « leoninis » scriptum latine de Excidio Trojæ poema, auctore quodam Bernardo Floriacensi, ecclesiastico viro, exsangue sane et aridum [1]; at quantum colligi potest ex his quæ de fatis urbis Trojæ et Æneadum fortuna decantantur, non alia scriptor ac Virgilii auspicia sectatur. Circa annum ejusdem sæculi 1152 edidit in lucem Simo de Capra Aurea carmen *de Excidio Trojæ;* quantum autem aliquid asseverari possit de istius compendii ariditate, a Paridis natalibus usque ad interitum Turni per septuaginta fere versus decurrentis, Daretem ignorat Simo, Virgilio [2] consentit, nihil veterum fabularum fidei derogat. At multo se res aliter habet, ubi Dares campo potitur : solum omnes adspectant Daretem, jurant omnes in verba Daretis ; nulli alii creditur ; nemo sacrosanctæ hujus auctoritati refragatur. Quod autem non desinit interea crescere et augeri

[1] V. Dunger, op. laud., p. 21.
[2] *Id. ib.* p. 22.

intra monasteria Virgilianorum codicum numerus, quid ad rem? sed hæc alias. Ego ad propositum revertor.

Unus inter neotericos poetas vel primus meditatus est ultra reges illos a Galfrido Monumentensi inventos flectere iter, et abstrusas gentis suæ origines poetice scrutari, Galfridus Gaimar, eo sane tempore quo præparati erant ad ista cum plausu accipienda auditores. Ille, exordio a Troja, imo ab aureo Vellere sumpto[1], per historias priscæ Britanniæ commenticias usque ad res a prioribus Normannorum ducibus fabulose gestis opus pertraxit.

Post hunc, materiam divisere Robertus Wacius et Benedictus Mauranus. Ille Galfridi Monumentensis librum, tum primum populari fama vigentem, in sermonem vulgarem metrice transtulit, quod opus recepit a populo nomen « Brut[2] »; addidit poema alterum de Rollone, primo Normannorum duce, sive « Rou, » quo nomine vulgati sunt isti Normanniæ ducum a Rollone usque ad pronepotes ejus metrici annales.

In idem munus poeticum atque in favorem

[1] Quoad conjectare licet ex libro priore parte trunco.

[2] Prior vocabuli « Bruti » syllaba (brut), sonat idem celtice quod latine « historia ».

regium successit poetæ senescenti, fretus liberiore vena et audacia majore, Benedictus Mauranus. Conscripsit metrice, si tamen verisimilia pro veris accipiantur « la *Chronique des Ducs de Normandie;* » dein, quasi dedignatus cum Wacio diutius æmulari, opus integravit cui titulus inscribitur « le *Roman de Troie* », regi Henrico II et reginæ Alienoræ et delicatis curialium auribus destinatum.

Eodem ferme tempore, studiosus antiquitatis monachus Iscanus, in latebris forsan Exoniensis monasterii aut intra domum Balduini archiepiscopi degens, patrono suo et exiguo litteratorum, qualis erat ipse, choro, scribebat opus minime nec copia, nec varietate, nec, ut vere dicam, ingenio comparandum. Serius autem an ocius Benedicto scripserit parum interest, quippe quem (quod ego infra illustrabo) plane ignorasse videatur. Uterque tamen diverso proposito, diversa prorsus fortuna, auctorem eumdem secuti sunt : de quo pauca jam sunt subjicienda.

Nobis, quum res Trojanas hodie consideramus, statim ingens Homeri obversatur imago, et totum fere bellum in Iliade contineri existimamus. Idem sane, ut videtur, arbitrata erat prisca Græcorum antiquitas; ita ceterorum

laudibus effecerat præfulgens tanti nominis decus! At plurimi tamen exstabant præter Homerum poetæ; multi res aut ante obsidionem transactas aut obsidionem secutas tractaverant. Majorem quippe decem annorum partem omiserat Homerus; cujus ipsa Odyssea, quid, nisi unus istorum Νόστων in quibus narrarentur cujusque fere herois casus, donec in patriam remearet? Alii autem ad alias fabulas decurrerant, sive ad Argonautica monstra aut Thebarum tragœdias, seu ad excidium Trojæ et novissima tempora, aut ad memorabiles Achilleæ prolis sub Trojanis mœnibus cum Amazonibus pugnas. Multa erant de argumento tam amplo tamque vulgato opera, multa non solum delicatorum sed etiam et vulgi auribus accommodata[1]; quædam secundum Homerum conscripta, at multa contraria Homero. Nam, prout a bonis litterarum ætatibus disceditur, videmus imminutam Homeri dignitatem. Succedit admirantium consensui obtrectatorum conjuratio. Diffiditur Homero; fama ea crebrescit sæpe in scriptis veterem illum poetam a veritate descivisse; arguitur tanquam plurima omiserit, plurima ex industria confinxerit :

[1] V. Chassang, *Hist. du Roman dans l'antiquité*, pass.

quasi vero hoc in genere desiderari possit aliquid præter vivam affectuum imaginem![1] Prior suspectam Homeri fidem habere se palam profitetur, III post Christum sæculo, Philostratus[2], qui in *Heroico* suo plura Homero verius ac subtilius gloriatur effingere. Tum florent sub infima latinitatis tempora falsariorum greges : inter quos duorum præcipue, Dictyos et Daretis, fortuna insignis fuit.

Fama fuerat exstitisse Dictyn quemdam, Cretensem, Idomenei sub Troja militem, et illum quasi acta diurna obsidionis conscripsisse, et decennii certamina, quorum pars ipse fuisset, singula exsecutum ; tum varios deinceps ducum in patriam reditus, quos aut præsens vidisset aut rumore absens audivisset, fuse explicuisse. Ergo nemini incredibile videtur in insula Creta, imperante Cl. Nerone, pastores quadam die, fulgurante cœlo et tonitru erumpente, in desertum aliquod sepulcrum, fulmine reseratum, incidisse, ibique in stannea arcula

[1] Tum primum Superi a mortalium commercio prohibentur ; reducuntur ad veritatem fabulæ ; ne ligneo quidem equo parcitur. Portam autem hanc Daretis (c. 40) « ubi extrinsecus caput equi pictum est », jam Servius (V. p. Ch. sæculo) in aliqua neoterici grammatici explanatione sane inventam protulerat.

[2] De quo vid. A. Chassang, *H. du Roman* doctissime disputantem.

reperisse Punica signa tiliis inscripta; ea vero perlecta et Græce translata in latinum vertisse quemdam Septimium et ad amicum Rufinum Aradium misisse. Cui non statim apparet verba dedisse posteritati falsarium nescio quem, nec usquam exstitisse exemplar illud Græcum a tot viris eruditis frustra quæsitum ac demum desperatum? Nunc inter doctos videtur constare[1] fraudem istam nec ultra Neronis ætatem nec citra Constantini potuisse elucubrari; perscriptam autem esse primitus non Græce, sed Latine, et ab aliquo excogitatam qui, etsi valde ab incorrupta judicii severitate recesserit, tamen et Sallustii et Taciti præsertim recordetur, nec admodum sit insulsus et contemnendus rerum falsarum auctor.

At non idem pseudo-Daretis compilationi concedere queas. Quisquis enim fuit iste jejunæ et exsanguis epitomes auctor, quam demissus jacet et cogitandi et dicendi ratione! quæ non solum ejus imperitia sed prorsus ignoratio styli! Habere te in manibus credas pueruli alicujus in subselliis sedentis tabellam memorialem. Probamus, hercule! indignationem viri acutioris, Scioppii, cui, « tam lutulen-

[1] V. Chassang, *H. du Roman*, pass. — A. Joly, le *Roman de Troie*, p. 680 sq. q.

tum isiud dicendi genus » videtur « ut in omnibus pagellis ea se offerant quæ τῶν κοινοβίων claustra resipiant aut actuariorum cancellos nuper admodum refregerint. » Arguit tota elocutio barbariem sæculi omni judicii acumine destituti. Audierat insulsus commentator nominatum quemdam ab ipso Homero[1] Daretem, Vulcani sacerdotem; isti autem, testante Æliano[2], in remotissima vetustate, imputatos esse authenticos Trojanæ obsidionis annales, quorum ne littera tamen ulla usquam comparebat. Tali initio profectus, composuit librum aut potius arida libri lineamenta pseudographus : quod quidem volumen, græco exemplari latine versum a Corn. Nepote, tum Athenis studente, fuisse, Sallustio ab amico Nepote dedicatum, effutit pseudo-Dares in epistola Nepoti imputata, præfationis loco scripta, quo stilo, Dii boni ! et quam Nepote aut Sallustio digno ! qua vero potissimum ætate excerptum fuerit istud opus, inter viros eruditos ambigitur; nec satis ad certum exitum perventum est. Notat acutissime A. Joly pri-

[1] Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης ἀφνειός, ἀμύμων,
Ἱρεὺς Ἡφαίστοιο... (*Il.* V, 9).

[2] Οὗ Φρυγίαν Ἰλιάδα ἔτι καί νῦν ἀποσωζομένην οἶδα.... (Æliani *Var. Hist.*, XI, 2).

mam honorificam Daretis mentionem in Isidoro deprehendi, anno post Christum 636 defuncto. Illum autem vel priore sæculi septimi parte in manibus fuisse id docere potest quod præposita sunt in veterrimo codice Gestis Francorum « Gesta Trojanorum a Darete scripta » et jam tum inter historicos rerum Francicarum receptus Dares fuit [1].

Enimvero nimia ille suscepit, qui discidii inter Græcos ac Trojanos conflati originem jam inde ab Argonautarum expeditione voluit ordiri. Defecere vires, quum tam amplam materiam intra triginta pagellarum metas comprehenderit. Undecumque collecta nomina, facta, tempora, veluti continenti agmine premit, vel hoc præcipue singularis quod, in præfatione, Homerum mendacii insimulat, id a Philostrato mutuatus, aut si græce, quod verisimile est, nesciret, ab aliqua Philostrati latina imitatione.

Quis tandem est ille Dares qui, densissimam inter medii ævi noctem, plantæ instar humilis succrescens, mox, ut Virgilii oleaster, pullulat ab radice, et robustissimos frutices per omnes annos undique agit? Numquid de prima

[1] V. A. Joly, op. laud., p. 615.

ejus origine certum satis aut probabile afferri potuit? Fraudem sub hoc nomine latere nemo non inter litteratos ignorat, ubi primum discutiuntur renascentis humanitatis facibus obscuriorum ætatum tenebræ; ita minime cunctabundus pronuntiat in quinto de *Erudiendis Artibus* libro Ludovicus Vives :

Dares Phrygius et Dictys Cretensis figmenta sunt eorum qui de bello famosissimo voluerunt ludere.

Qua vero lingua primitus usus sit ridendi compendii auctor jam tum inter eruditos ambigi cæptum est. Sagacissime controversiam his verbis instituit Joannes Vossius [1].

Scio Æliani ætate etiamnunc exstitisse Daretis Iliadem. Nam id satis liquet ex ejus libro XI (*Var. Hist.*, c. 11): sed non dubito quin longe alius fuerit græcus ille. Nam quem nos latine habemus satis prodit se exiguæ et doctrinæ et judicii fuisse. Plane autem arbitror esse commentum hominis qui non tam verterit quam scripserit latine, imo qui haud admodum latine sciverit.

Ita Vossii inclinat animus ad eam opinionem aliquem latini Daretis græcum olim archetypum extitisse; at eum valde contendit græce nescivisse qui tam perperam latine scripserit. Dedignatur in editione sua Daretis ineptias

[1] *De Histor. latin.*, p. II. litt. D.

confutare Anna Daceria. Nostro autem tempore Dederichus[1], postquam multum variavit, et « Daretem sua judicavit ex Dictye hausisse », abjudicandam hanc opinionem declarat, nec non repudiandam censet illam a Fabricio (Bibl. Græc., I) receptam : « Iscanum ex latino, quem nunc legimus, Darete, poema suum conscripsisse ». Judicat enim Dederichus « Iscanum quoque Daretem Græcum ante oculos habuisse. »

Dum his se angustiis doctissimi homines torquebant, quæstionem eodem temporis momento Dunger et Joly pro se quisque in manus resumpserunt, et idem ferme ex iisdem argumentis conclusere : minime nempe necessarium esse conjecturam amplecti Græci Daretis cujuspiam, quem nemo usquam conspexerit, imo frustra, videntibus et scientibus omnibus, inclitus ille Lascaris, XV sæculo, indagatione acerrima perquisitum, desperaverit; nullum itaque alium medii ævi scriptoribus ac nostrum latinum Daretem cognitum esse (de quo plurima promptissimi viri argumenta proferunt); ergo istum libellum, infimis latinitatis temporibus æquale (quod optime viderant De-

[1] *Adnot. in Daret. Phryg.*, p. 57.

derichus et alii), latine ab initio conscriptum esse. In hanc autem, a duobus confirmatam, sententiam pedibus iit recentissimus Daretis exactor, F. Meister [1].

At novus disceptator G. Koerting [2], qua solent Germani disputantes contumacia uti, in aciem nuperrime prodiit, et redintegrari certamen circa Daretem jussit. Non satis est, inquit, animadvertere, quod fecere omnes, quam multæ sint apud Daretem hunc nostrum inconsequentiæ, nisi probabilem aliquam cur res ita se habeat causam afferas. Causam porro eam Koerting inde quærit quod exstiterit olim Græcus Dares narrationum ambitu latius excurrens; quo fonte emanavisse Daretis historiam latinam, sive quis ex græco protinus opere hanc epitomen verterit, seu, ut verisimilius est, ex veteri, jam pridem perdita, latina ejusdem græci operis interpretatione, mutilum hoc et male consutum breviarium infimæ ætatis auctor aliquis excuderit. Nulla enim alia ratio excogitari potest cur, quum

[1] Daretis Phrygii *Historia*, Lipsiæ, Teubner 1873.
[2] *Dictys und Dares*, ein Beitrag, zur Geschichte der Troja-Sage in irhem Uebergange aus der antiken in die Romantische Form, Von Dr. Gustav Koerting, Halle a/S., Max Niemeyer 1874, p. 67 sq.q.

omnis prope Trojanarum rerum memoria hic consarcinata reperiatur, tam ingeniosus in istis copulandis, tam instructus veteri heroicorum materia scriptor, ineptissimo et plus quam negligenti tamen stilo usus sit : videlicet illum aliena eruditione res didicisse, suo autem judicio, quod infra mediocritatem sane jaceat, enarrasse.

Hæc G. Koerting : quem ego presse ac copiose contra Dunger ac Joly argumentantem sequar, in quibusdam majoris momenti argumentis commoratus.

Dares, ab ipsis farraginis suæ initiis hoc negligenter (c. 1) jacit : « sed qui volunt eos cognoscere (Jasonis in expeditione comites) *Argonautas* legat. » Nonne his verbis, ait Dunger, satis perspicue referuntur ad Argonautica Val. Flacci legentes ? idem Philocteten inter socios Jasonis alio loco (c. 15) nominat ; porro unus inter auctores nobis cognitos V. Flaccus Philocteten Argonautis annumerat : nonne ita latina proditur Daretis origo ? Negat se Koerting tali argumento vinci. Quidni enim Græcus homo, eo præsertim tempore scribens, quo vulgo ferebantur compositæ in utraque lingua farragines, sic Val. Flaccum ut ipsum Rhodium Apollonium notum haberet ? At cui cre-

dibile erit nonnisi hominem plane ineptum, et Valerio Flacco ipsi legendo prorsus imparem, barbarum hoc « Argonautas » pro « Argonautica » fuisse usurpaturum ? Multa sane hominum terrarumque vocabula in codicibus corrupta sive incuria seu potius ignoratione scribarum exsistere fatendum est : at hujus ipsius, de quo nunc agitur, loci contextus imperitiam arguere videtur hominis vocem aliquam perperam transcribentis cujus eum vel significatio lateat.

Ceterum omnia Trojani belli celeberrima no mina istuc collata videmus, unde sumpta ? ab Homerico fonte sane quædam, inter quæ catalogus ille navium, capiti 14 insertus, proveniunt. At compendii pars longe maxima extra Homerum jacet, quippe in quo gemina Trojæ obsidio enarretur et ab Argonautarum navigatione res repetitæ usque ad extremum ducum Græcorum regressum perducantur, quantum ab Homerica narratione discrepantes ! quod minime mirandum, in auctore se tanquam Trojanum militem proferente et ubique civibus suis suffragante. Quam mutatus ab Homerico illo Achilles ! Novæ tranquam e terra personæ exsilire videntur, qualis et ille Troïlus, tantæ gloriæ destinatus, qui defendendæ urbis, Hec-

tore fratre absumpto, molem excipit, et fraternis laudibus adæquatur. Quam de Calchante, Trojanis castris profugo et ad Græcos desciscente, nova et inaudita! quam mira de ejusdem filia Briseida! Non jam est hæc illa Achillis captiva, quam tantis vultus præstigiis ornatam unam inter Græcos viros puellam nobis Dares (c. 13) repræsentat. At hoc ipsum virginis nomen notat sagaciter Koerting quanto, si velimus attendere, documento sit : cujus quemadmodum ratio reddi queat, nisi admissa scriptoris, quisquis iste fuerit, imperiti opinione, accusativum græce pro Βρισηίδα nominativo accipientis et in suum textum introducentis? Hæc multaque ejusdem generis d. Koerting compellunt ad conjecturam immensæ alicujus et indigestæ compilationis, ab eruditis jam pridem et excultioribus ingeniis explosæ, cujus neque Alexandrini, nec Eusthathius, neque ullus unquam grammaticus mentionem præ contemptu facere dignatus sit, quæ diu sub nomine pseudo-Daretis per compita circulans, manibus popelli trita et digitis impressa, sero in latinum sermonem conversa, mulierculis aut puerulis provincialibus deliciis fuerit, tandemque annis macerata et ad exigui voluminis formam redacta, ad eminentem dignitatis gradum,

interceptis ceteris ejusdem notæ archetypis, superstes una, licet indignissima, pervenerit[1].

Quod si Dareti latinum præcipue fontem assignaveris, quomodo queas intelligere tributas apud Daretem Æneæ partes? Iste enim, civibus ac rege proditis, Græcos intra mœnia, Antenore ac Polydamante suffragantibus, inducit; iste, Græcis ducibus, Polyxenam in domo patris latentem indicat; iste, digressis hostibus, adversus Antenorem arma civilia movet, donec turpe ipse in exsilium pellatur. Hicne est ille Urbis Romanæ conditor, ille pius Virgilii Æneas? Unde talis in homine provinciali, at Romano tamen, Virgilii et patriæ ipsius Romanæ oblivio? unde ista Urbis conditori labes, gratuito quidem, inusta? Hoc unus audere potuit homo minime malus, utpote prorsus indoctus, vestigia auctoris secutus Virgilium plane dedignantis aut ignorantis[2].

Animadverterat Dunger[3] Daretis breviarium cum narratione Dictyos in universum congruere, ita ut vere asseverari possit ex eodem fonte Daretem quo Dictyn haustum, eo tamen excepto

[1] Koerting, p. 110, 116, 117.
[2] V. Koerting, p. 72.
[3] Dunger, p. 16 sq.q.

quod hic Græcorum partibus faverit, ille Trojanorum, et respondere Trojanus Græco voluerit. Et quædam profecto, multa etiam apud ambos consentire videntur : sic in utroque Argiva castra discordia laborant, et orta inter duces dissensione, succedit post temporis intervallum in imperium Agamemnonis Palamedes : cujus mutationis, ut notat Dunger [1], unus Dictys auctor reperitur. At multo magis Koerting, ut et ipse ante Dederichus [2], iis quæ inter utrumque discrepant commovetur [3]. Jam enim ambo varie ducum interitus aut nobilium matronarum fortunas commemorant : quippe in Dictye (II, 15) Palamedes perit, Diomedis et Ulyssis gladio interceptus ; in Darete, Paridis arundine perfossus (c. 28); in illo Ajax Telamonius, post initum de Palladio discrimen (V, 15) inter duces, mortuus sub tentorio reperitur; in hoc Paridis manu vulneratur (c. 35). Ille Paridem Philoctetæ dextra interficit (IV, 19); apud hunc, ab Ajace gravi ictu confossus cadit (c. 35). Eadem de Trojanis mulieribus diversitas, quum in Dictye (V, 13) Cassandra captiva ab Agamemnone abducatur, apud Da-

[1] Dunger, p. 16.
[2] Dederich, p. 56.
[3] Koerting, p. 118.

retem (c. 42) libertate donetur simul atque Helenus et Andromache; Hecuba illic lapidibus obruatur (V, 16), hic Chersonesum cum filiabus (c. 43) petat. Quæ multaque alia palam facere videntur non uno eodemque fonte Dictyn ac Daretem emanavisse; aut potius ex hoc amplissimo Troïcarum fabularum gurgite, plurimos quasi rivulos exiisse; qui, mixtis forsan a principio lymphis, mox, alveo quisque suo, diversis regionibus profluxerint; sic provenisse illinc multis flexibus Dictyn abundantem, hinc salebrosum et exilem nostrum Daretem [1].

Daretem nihilominus ampliorem exstitisse, quocumque modo, quacumque lingua conscriptum, at spatium saltem humane commodum narrationibus suis permittentem, quis dubitare queat, quum talia apud nostrum legat de Antenoris legatione, mandata Priami ad reges Græcos perferentis (c. 5):

Antenor... navem conscendit et profectus venit Magnesiam ad Peleum... Antenor dicit ea quæ a Priamo mandata erant *ut* Græcos postularet *ut* Hesiona redderetur. Hæc ubi Peleus audivit... jubet eum de finibus ejus discedere. Antenor... navim ascendit, secundum Bœotiam iter fecit, Salaminam advectus est ad Telamonem; rogare eum cœpit... Telamon Antenori respondit nihil a se Priamo factum... Antenora de insula discedere jubet. Antenor navim conscendit, in Achaiam venit. Inde

[1] Koerting, p. 75, 117, 118.

ad Castorem et Pollucem delatus, cœpit ab his postulare... Antenorem discedere jubent. Inde Pylum ad Nestorem venit... Antenor ubi audivit nihil se impetrasse, navim conscendit, domum reversus est. Priamo regi demonstrat, quomodo unusquisque responderit, et quomodo ab illis tractatus sit; simulque hortatus est Priamus ut eos bello persequatur.

Habes stili vix humani specimen. Porro cui persuaderi poterit scriptorem, pro se scribentem et propria expromentem, tali unquam loquendi genere usum? Nonne vides hominem materiæ serviliter alligatum, et longioris pensi sui curriculum quam citissime decurrentem?

Quid hæc Argonautarum Colchos invadentium brevissima commemoratio? (C. 2.)

Navim conscenderunt, a terra recesserunt, Colchos profecti sunt, pellem abstulerunt, domum reversi sunt.

Alias, ea styli pernicitate res condensantur ut intelligentia legenti prorsus eripiatur. Sic de primo illo Paridis cum Helena colloquio. (C. 10):

Helena vero, Menelai uxor, quum Alexander in insula Cytherea esset, placuit *ei* eo ire: qua de causa ad littus processit. Oppidum ad mare est Helæa, ubi Dianæ et Apollinis fanum est. Ibi rem divinam Helena facere *disposuerat*. Quod ubi Alexandro nuntiatum est Helenam ad mare venisse, conscius formæ suæ in conspectu ejus ambulare cœpit, cupiens eam videre. Helenæ nuntiatum est Alexandrum, Priami filium, ad oppidum Helæam, ubi ipsa erat, venisse; quem etiam ipsa videre cupiebat. Et quum se utrique respexissent, ambo forma sua incensi tempus dederunt ut *gratiam referrent*...., etc...

Quis credet illum inter Alexandrum et Helenam amoris gratia congressum ista dictionis balba et puerili obscuritate a priore narratore descriptam esse[1]?

Alias (c. 19) legimus de Ajace Telamonio et Hectore in acie congredientibus, et suam mutuo consanguinitatem agnoscentibus :

Erat enim (Ajax) de Hesiona, sorore Priami, natus. Quo pacto Hector a navibus ignem removeri jussit, et utrique *se* invicem *remuneraverunt* et amici discesserunt.

Nusquam autem de facibus in castra Argivorum illatis mentio fuit. Raram sane interpretis negligentiam, mirifice auctorem suum fastidientis! Quæ vero ista *munera* inter se viri rependerunt? Nempe in barbaram locutionem confugit scriptor insipidus, quum operæ nimiæ judicaret esse reddere illam aut Homericam clypeorum μεταλλάγην, aut moribus temporis sui accommodatiorem virorum armatorum *osculationem*. At longum esset stolidi libelli pagellas excutere; jamdudum enim explosæ sunt tot tantæque ineptiæ.

Denique, quod conjectat D. Joly[2] Daretem a falsario quolibet scriptum, ex mentione Tro-

[1] Koerting, p. 89, 90, 91.
[2] Id. p. 117.

janæ ejusdem generis ephemeridis ab Æliano facta, Koerting displicet. Nam quis putet miserum istum pseudo-Daretem eum fuisse ut legeret Æliani Historias Varias, græce, ut quisque scit, conscriptas?

Venio jam ad ea quæ concludit ex tota disquisitione D. Koerting. Verisimile judicat exstitisse, aliquo senescentis antiquitatis momento, sive græce, seu latine, vastam compilationem, refertam fabulis de Argonautis, de gemina Trojæ obsidione, ad vulgi aures accommodatis, falsi nomine Daretis circumlatam; hujus profecto in utroque sermone imitationes, bonas aut malas, diversis temporibus factas esse, e quibus, post varias vices obsoletis, quoddam, ad usum forsan scholasticorum, breviarium memoriale excerptum esse, non multo ante superiorem VII ætatis partem, eo certe tempore quo nulla jam exsisteret boni, aut mali, aut pessimi stili discernendi facultas.

Inde profecto apparet quibus de rebus potissimum inter se hinc D. D. Dunger ac Joly, illinc D. Koerting dissentiant : illi nempe opinantur Daretem nostrum fuisse litterati cujuscumque viri proprium opus, in angustos libelli sui fines quidquid de Troja et ipse et æquales scirent, strictim coacervantis; hic contra de-

fendit nullo pacto fieri potuisse ut curtatum hoc et exsangue volumen, nunc formulis inficetis sordidisque redundans, nunc præcipiti dicendi impetu vel præcipua rerum extenuans, ab ingenio hominis cujuspiam sponte profectum sit. Negat, a priori, tum absolutam eam rerum Troicarum notitiam, tum omnis tersæ ac politæ orationis inscitiam, in uno eodemque homine posse intelligi; ostendit, a posteriori, plurima et in narrationum tenore suppetere et in recensione factorum et virorum, quæ epitomen sapiant et indicent.

Non nostrum est inter doctissimos viros « tantas componere lites ». Fateor tamen me valde aliquot D. Koerting argumentis moveri. Fuerint itaque, remotiore jam antiquitate, ut D. Koerting placet, multa de historiis Trojanis excerpta, et sive latine, seu græce, seu in utraque simul lingua ad usum vulgi compacta; ex quibus, ætate haud paulo recentiore, scriba qualiscumque, vix latinæ, at neutiquam græcæ linguæ peritus, libellum quemdam manualem contraxerit, usque ad nos sub Daretis nomine perlatum. At fixum statutumque maneat id quod Dunger et Joly confirmaverunt, nec validis satis argumentis Koerting impugnat, scilicet Daretem eum, quem nunc in manibus habe-

mus, unum ex pluribus superstitem, eumdem illum fuisse in quo interpretando elaborarint et Benedictus Mauranus, et Iscanus, et Albertus Stadensis, et quicumque iisdem temporibus ex hoc communi Trojanæ fabulæ fonte proprium aliquid hauserint.

At de Darete hactenus. Sit mihi satis indicasse quis fuerit, aut potius quis non fuerit falsarius iste qui sibi tantam fidem dolo præstruxit, de quo tot optimi viri doctissime disputarunt, cujus denique nemo tam sincerus quam Josephus Iscanus imitator exstitit.

CAPUT IV

EXPLICATUR BELLI TROJANI ARGUMENTUM; DE MORIBUS, PERSONIS, ET TOTO SCRIBENDI GENERE EXEMPLA PROFERUNTUR.

Tempus est ad Iscanum reverti et quomodo se in tractanda Daretis materia gesserit anquirere. Utinam vero plus in auctorem ausus foret, et, in altum progressus, ventos passis velis accepisset! nimiæ enim, non audaciæ, at timidatitis, ne ille sit culpandus, quam vereor!

Primum omnium Daretis sui testimonio nititur, ut qui, impressas poetarum conjuratione veritati « rugas » radere gloriatus, corrupta mendaciis Homerica « figmenta » respuerit. Quod altioribus numeris hunc in modum explicat :

Nam vati Phrygio (Dareti) Martem, certissimus index,
Explicuit præsens oculus, qnem fabula (Homerus) nescit.

Hunc ubi combiberit avidæ spes ardua mentis,
Quos Superos in vota vocem? mens concia veri
Proscripsit longe ludentem ficta poetam.
(I, 26, sq.q.)

Daretem hic subesse intelligimus, pronuntiantem, summa impudentia dicam an ignorantia? publico judicio fuisse olim Athenis « pro insano habitum » Homerum, utpote qui Superos adversus mortales bella gerentes « descripsisset. »

His de causis repudiati ab Iscano non Homerus tantum, sed Homerici etiam Dii. Sollemni se jurejurando poeta apud Balduinum obligat nullo extrinsecus allato ornamento a se corruptum iri intemeratam historiæ fidem.

Magna, me dius fidius, sub istis in Homerum conviciis latet homerici carminis et linguæ græcæ inscitia. Licet enim jam a VII sæculo Theodorus episcopus ab Italia inter multos codices secum asportatum unum Iliados exemplar in bibliothecam ecclesiæ suæ inseruisset, obsolescere subinde græca lingua cæperat, quum multo rariora essent græcitatis quam latinitatis monumenta, et latinis unice scriptoribus litterati inter clericos operam darent.

[1] V. WARTON, op. laud. t. I, p. CXXI sq.q.

Neque enim postea Lanfrancus aut Anselmus, quum tot voluminibus bibliothecas ampliarent, nec Henricus is monachus Hydensis, qui tot manu sua codices exarasse memoratur [1], nec Paulinus ille abbas, qui tantam vim librorum in forulos sancti Albani sui congregavit, Iliados meminere. Ergo, non longa temporis mora interjecta, e scholis omnino evanuit græcæ scripturæ notitia. Nec difficile est dignoscere vel eruditiores hujusce ætatis duodecimæ viros, G. Mapensem aut J. Saresberiensem, aut A. Nequamum, fama Homerum magis quam per se ipsos notum habere, nisi forte Homeri nomine decores summarium istud Iliados versibus latinis 1100 contractum, et jampridem sub nomine Pindari Thebani vulgatum [2].

At hercule! Homerum, etiamsi per manus haberent medii ævi homines, male intellexissent. In illo enim divino poeta relucet eximia quædam perfectæ et sobriæ pulchritudinis imago, qua minime possent rudia ingenia moveri; neque id legentes apud Homerum invenissent quod cuperent. Parum delectasset eos

[1] Id., *ib.* p. CXXXIX.

[2] Satis puris ac fluentibus versibus conscriptus est Pindarus, infimis, ut videtur, latinitatis temporibus assignandus. Nihil Pindaro debet noster. (V. Homeri *quæ exstant omnia*...... Pindari *quin etiam Thebani Epitome Iliados*..... Basileæ, 1606).

hæc in affectibus tractandis ac pingendis moribus vis incorrupta. Facilius essent admirati prœliorum tumultum ac varietatem, ea tamen conditione ut Homerici viri et arma, et vestes, et ceteros medii ævi habitus induerent. Nullus eo titulo propius Homero accedit quam Benedictus Mauranus, qui, quum tanta ferocia instinctos alios in alios viros ferro vestitos « *les fervestus* » impingat, vividam pro parte sua ætatis Homericæ aliquam imaginem inscius repræsentat.

At quomodo sufficiat avidæ tum audientium cupiditati brevius illud poematis Homerici spatium, inter Achillis iram atque Hectoris obitum transacti? Res omnes intra decennium ex ordine gestas auditores exigunt a narratore; ab ovo, scilicet ab Argonautis et a perjurio Laomedonteo cladis initia repeti volunt; juvat per longas infinitæ fabulæ ambages exspatiari, infantibus similes qui, ab ore nutriculæ suspensi, nondum audita se usque audituros sperant, nondum visa contemplaturos. Unde Daretem potius quam Homerum et Dictyn ipsum amplectuntur et Mauranus et Iscanus. Dictys enim argumentis elatandis non abstinet; res gestas non veluti cursu prætervolat : contra in momentis quibusdam præcipuis immoratur, et narrata exor-

nat, et orationes sæpenumero prolixiores rerum actoribus commodat. In Darete nihil nisi siccum et maceratum. At per quot rerum vices legentium animos rapit ille ! Recenset nempe pugnas et indutias, et arma et paces ; accumulat utrinque virorum sibi invicem succedentium adventus, et facinora, et mortes. Nihil ignorat Dares, et usque ad fastidium digerit singula; naves dinumerat; novit usque ad unum quot militum millia in castris utrisque exstiterint, quot annos sit bellatum, qua die Januarii mensis Troja fuerit capta. Cyclicum vere hunc scriptorem habemus : nempe Argonautica et plus quam Iliada libellus unus continet. Penuria autem stili quid interest ? quid insulsæ semperque iisdem vocibus iteratæ formulæ ? num delicata adeo sunt hominum medii ævi judicia ? Supplet exilitatem narratoris rerum et personarum copia. Neque enim defuit istius temporis scriptoribus vis in inveniendo et audacia : deesse audentibus potuisset materia, ni Dares suppetias iret. Laudandus itaque Dares non ob ea quæ fecit ipse, sed ob ea tamen quæ ab ipso ceperunt initium.

At poetam nos jam in manus resumamus.

> **Iliadum lacrymas concessaque Pergama fatis,**
> **Prœlia bina ducum, bis adactam cladibus urbem**
> **In cineres querimur...**

His nobilibus hexametris noster geminos Laomedonteæ et Priameiæ civitatis casus celebraturum se profitetur, nullius tamen Musæ subsidium invocaturus; at juventutem excusat tanto, ut quibusdam videtur, imparem oneri :

> Si nostris nil dulce novum, nil utile visum,
> Quod teneri pariunt anni, si sæcula tantum
> Aurea Saturni [1] memorant, et nulla recentis
> Gratia virtutis, aude tamen ardua, pubes ;
> Mento canescant alii, nos mente; capillo,
> Nos animo; facie, nos pectore. Tempora certe
> Virtutem non prima negant, non ultima donant.
> (I, 15-21).

An revera ab aliquo et ipse « vetere et malevolo » inter scholasticos læsus fuerit, ex hoc animoso sane loco vix ausim concludere, quum parum adeo notescat Josephi vita. Procul dubio non destitit eum adhortari et confirmare Balduinus, in quo niti spem gloriæ suæ fatetur, ad quem se confidenter vertit, cujus, ut vidimus antea, nomen tantis laudibus extulit [2].

[1] Venisse in mentem videtur Horatii, hunc carpentis antiquitatis amatorem (Ep. II, I, 48)

> Qui redit in fastos et virtutem æstimat annis,
> Miratur que nihil, nisi quod Libitina sacravit.

[2] Vid. supra, C. I.

Ab his exorsus vates fabulæ argumentum protinus explicat.

L. I. Quum prima rate fluctus sulcarent Argonautæ, ductu Jasonis ad vellus aureum properantes, hospitio telluris Trojanæ ab inhumano et suspicioso rege Laomedonte vetiti sunt. Injuria exacerbati, discedunt tamen et Colchos vela faciunt; dein, præda potiti, domum redeunt. Tum inter magnificas dapes a Pelia hospite regibus victoribus exstructas, intolerandam Laomedontis audaciam denuntiat Hercules, et cunctos ad arma resumenda vocat. Haud mora, nova fit expeditio; præsunt Græcorum exercitui Hercules, Telamon, et Peleus; post faustam navigationem appellunt ad Sigeum promontorium, et statim ad mœnia urbis triplici contendunt agmine. Occidit Laomedon, dum flammas infestis navibus intentat; scalæ muris applicantur; nata Laomedonte Hesione Telamonis præmium virtuti datur : naves iterum conscendunt duces Achivi. Interim filius regis defuncti Priamus, qui tunc bellum in orientali Phrygia gerebat, fama tantæ civium stragis excitus, ad incensæ urbis mœnia regreditur; civesque consolatus, novam ædificat urbem et ampliorem. Paulatim vulnera belli resarciun-

tur ; opulentiæ civitatis ubertas agrorum respondet; omnia novo regno auspicia favent. Hoc spectaculo publicæ felicitatis primus liber absolvitur [1].

L. II. At in Priami pectore subest contumeliæ memoria et cupido ulciscendi. Mittere in Græciam statuit Antenora, bellum indicturus, ni Danai Hesionen fratri restituant : non aliter Priamo satisfactum iri. Repulsus a ceteris principibus legatus accedit demum Salamina, quo tempore celebrantur Telamonis et Hesionæ nuptiæ. Nihil valent apud Telamona preces, et exclusus Antenor ad suos remeat, monetque non jure sed armis jam cum Danais agendum esse. Rem vero tractasse frigidius Antenora vociferatur Priami filius Alexander (sive Paris), utque in legationem ipse succedat impetrat; tum narrat sibi, inter somnum, apud Idam montem, comparuisse tres deas, Junonem, Minervam, Veneremque, et de formæ præcellentia, se ipso judicante, contendisse; Venerem autem sibi, subobscuris verbis, mulierem Græciæ speciosissimam promisisse. Terminat librum

[1] Daretis C. I-4.

secundum, quem ferme totum complet, longa hæc digressio[1].

L. III. Instaurantur Veneri, Trojanorum reginæ, sollemnia. Frustra vox Heleni, præsaga futuræ pestis, erumpit. Moto tumultu, favet principum consiliis multitudo, et os Panthei præcluditur, oraculum vetus Euphorbi patris commemoranti, lapsura Pergama si uxorem Alexander de Græcia duceret. Hortatur at ipse Trojanos Antenor ut spem bonam concipiant : morti enim occubuisse Herculem, senuisse prioris belli duces Telamona et Pelea; adolescentulum autem Achillem esse. Nec jam meminerunt isti fatali tæda prægnantem Hecubam. Permensus interea cum classe Paris Cycladas, Cytheram appellit. His ferme diebus Helena, absente conjuge Menelao, venerat Argos, ubi sollemnia Junonis festa tum celebrabantur, simul matris sororem visura. Ubi audiit viros alienigenas vicinam insulam tetigisse, studio videndi ad urbem Helæam, oræ maritimæ proximam, defertur. Rumor ad aures Alexandri pervenit Tyndaridem forte in opposito littore versari; statim, classe relicta, Helæam subit,

[1] Daretis, c. 4-7.

et visendæ Lacænæ reginæ opportunitatem quærit. Jam sedet in animo rapere; mox volentem ipsam cum sociis virginibus secum abducit. Gaudet nuntiato furto rex Priamus; sperat recuperandæ sororis pignus sibi captivam Helenam fore. Mox Paridi revertenti universi, proceres humilesque, obviam occursant, et lætis eum clamoribus salutant. Sola Cassandra furens ex adytis ruit, et dira in Tyndaridem ominatur. Nihilominus limen Paridis subit conjux adultera, dum convulsa tanti facinoris rumore tota Græcia in bellum accingitur; gemini fratres Helenæ Castor et Pollux, quos propius tangit injuria sorori illata, ante omnes armati prosiliunt; at dum a Lesbio littore funem solvunt, tempestate correpti, ambo evanescunt. Funestus hic casus finem libri tertii facit[1].

L. IV. Interea vires colligit Priamus, et vicinos ad socia arma populos convocat. Respondent Phryges et Lyci, Mœsi et Cares, nec non Asiæ orientalis incolæ Mauri, ductu Memnonis, et Arabes et Syri; indigenæ milites a Troilo et Hectore ordinantur. Quorum, ut alio-

[1] Daretis, c. 7-11.

rum et Trojanorum et Danaum ducum, describitur facies, nec non quasi graphice depinguntur Helene et Briseis [1], et mater Priamidarum Hecuba, et Cassandra, et Andromache et Polyxena filiæ. Navibus græcis imperatum erat ut Athenis congregarentur. At non prius Achivi mare transmittere volunt, quam Deorum numina consuluerint. Vaticinatur Phoebus victoria Danaos post decennium potituros. Idem eodem tempore responsum Calchanti sacerdoti, a Trojanis misso, mox ad Græcos transfugæ, datur. Tum, certo omnes augurio læti, portu discedere properant; tempestate orta repulsi, Aulida, Calchantis monitu, flectunt iter, Dianæ litaturi; hinc, pace deorum implorata, solvunt. Continuo Tenedon insulam ferro et flammis populati, legatum mittunt ad Priamum Ulyssem, qui raptam reposcat Helenam. At moræ impatiens Æacides, adjuncto sibi Telepho, Mœsorum, quibus rex Teuthras imperat, fines cum armata manu lacessit. It contra Teuthras; sed gravi lancea confossus Achillis exspirat, et moriens tradit Telepho, patris olim hospiti, regnum et opes. Defuncto regi justa solventur, dum repulso a Priamo

[1] **Briseida, Dares, at Briseis, noster.**

Ulysse, omnia jam apud Græcos bello propiore fremunt.

L. V. Librum ad quintum pervenimus, qui nos raptim per decem annorum eventus agit. Tanta jam celeritate res præcipitantur quanta hactenus tarditate erant evolutæ. Eadem ferme temporis intervalla et prœliis referciuntur et indutiis. Dux Graiorum Agamemnon meditatur urbem somno sopitam deprehendere; at cæcum Martem respuit Palamedes, qui haud ita pridem cum navibus triginta ad classem Græcorum accesserat. Placet prima luce milites e navibus educi. Signo dato remis adhibitis, littori proræ advertuntur. Occupat Hector, sequentibus multis viris, et immisso in fluctus equo tendit ad proximam, qua vehitur Protesilaus, ratem. Quo quidem ab Hectore interfecto, pavefacti terga vertant Achivi, ni Æacides impetum excipiat et pedem retro ferre Hectorem cogat: campo demum potiti Graii castra muniunt. Fit ingens utrinque concursus : cadunt viri prius ferme quam in nostro conspectu sint; Patroclo succedit Merion, statim ab Hectore mactatus. Tum, quasi tanta animi contentione fessus, poeta biennii indutias utrisque castris injungit. Discordant inter se reges, et impe-

rium Palamedes Agamemnoni eripere conatur, quo ipso tempore Trojani ab Hectore, et Troïlo, et Ænea ducti, bellum renovant. Arma armis conseruntur : furit Hector et plurimos leto tradit. Coguntur rursus Achivi ad Priamum delegare Ulyssem ac Diomedem, pacem supplices oraturos. Sanciuntur tertium in annum indutiæ; tum renovatis armis, Troilus et Hector iterum in aciem prodeunt, virtute insignes utrique. Ardent contra Æaciden ambo ferro decernere. Retinet conjugem Andromache, teterrima in somniis imagine visa; at, repulsi sub mœnia urbis, Trojani Hectorem ad pugnam revocant. Vix audet tanti viri molem Achilles adire; oportet illum deæ Juno et Minerva precibus agant [1] ad certamen illud quo, Hectore confosso, victor evadit, at ipse Memnonis dextra graviter vulneratus [2].

L. VI. Magis etiam quam in superiore res in sexto et novissimo libro densantur. Erecti interitu Hectoris Græcorum animi, contra Trojanorum fracti; Palamedes imperio detrudit Agamemnona, et novum vincendo titulum adi-

[1] Hoc de suo Josephus (v, 475) ; nihil nec in Darete, nec in Benedicto simile.
[2] Daretis, c. 18-24.

pisci cupit. Vario tum et ancipiti Marte pugnatur. Interea fame exhausti Graii pacem annuam impetrant. Liberi fiunt Danaum in mœnia Trojana aditus, et Trojanorum in Achiva castra. Quo autem die Hectoris manibus in urbe parentatur, Polyxenam Achilles visam adamat, et uxorem a patre poscit. Negat Priamus, nisi fœdus Græcis universis comprobetur; ad socios conversus Achilles frustra monet ut finem irritis laboribus imponant; tum se intra tentorium iratus recipit. Acie instructa, Palamedes manu Sarpedona fundit; at ipse, Paridis sagitta transfixus, cadit. Tum vero Danai, perempto rege, terga incompositi vertunt. Sternuntur mixti cum militibus duces. Instat fugientibus fraternæ laudis æmulus et vindex Troilus; et jam turbati Danai ad reditum spectant, quum, nullis adhuc precibus exoratus, Achilles Myrmidonas tandem suos concedit in aciem retrahendos. At non melius succedit eventus; pelluntur Myrmidones, quorum unus, in castra recedens, ante pedes ipsius Achillis animam exhalat. Tum demum exardet irarum æstu, et cetera oblitus, Troilum infestis armis insectatus, lancea perfodit. Jam in Trojanos pavor ingruit; labitur filius Auroræ Memnon. Sternuntur multi, donec Æacides, tanquam ad sanciendum

conjugium invitatus a Paride, fraudis machinatore, cum Antilocho inermis deprensus occumbit. Spes iterum Danaum labefactatæ, desperantque victoriam ; sed a Superis monitus Calchas edocet arcessendum Scyro insula prolem Achilleam Neoptolemum (sive Pyrrhum). Nec durat Paridis exsultantis audacia : arundine Telamonium Ajacem sauciat ; sed ipse manu ignota percussus luit belli incepti piaculum. Et mox infestis armis prodeunt, recentes inter proelia, vix adultis viribus, Neoptolemus et regina Amazonum, Trojanis auxiliata, Penthesilea, nobile par, sed inæquali fortuna. Mactat Penthesileam Pyrrhus, nec ulla jam Trojanis superest cladis fuga. Jam enim propius muris Achivi insultant et omnibus copiis mœnia parant aggredi. Suadent Priamo deditionem Antenor, Polydamas, Æneas. Adversatur imbelli consilio natu minimus Priamidarum Amphimachus, qui censet laxandas portas et, impetu in hostes facto, nobilem armis mortem quærendam esse. Priamus, quum tergiversantes in officio duces, quos antea nominavi, sentiat, iis præstruit insidias ; at, intellecta perfidia, illi secreta cum primoribus Achivorum nectunt consilia, et porta noctu reserata Danaos admittunt. Sequitur ingens Trojanorum sopitorum strages. Instat

Neoptolemus flammis et ferro. Occumbit in ipso Tonantis templo Priamus; unam et conjugi et tot filiis superesse se lamentatur Hecuba. Græci Troicam gazam in arcem Minervæ congestam inter se dividunt; tum, mactata Polyxena, naves conscendunt. Urbe potitur Antenor, qua frustra eum spoliare conatus Æneas in exsilium compellitur [1].

Hactenus Daretem secutus Iscanus ad Dictyn parumper flectit, cujus auspiciis Achivorum in patriam iter, Ajacis Locrensis fluctibus absumpti fatum, concitatas ab Æace, Palamedis fratre, adversus reversos viros Argolicas matres et nurus, interceptum fraude Clytæmnestræ Agamemnona, exclusum ab Ægiale sua Diomedem, et, moderante Nestoris prudentia, ægre compositos intestinos Achæorum tumultus, Ulyssis errores et ærumnas, donec ad Penelopen regressus et superatis inimicis, multos post annos manu Telegoni filii, genitorem ignorantis, interemptus cadat, unum denique Menelaum sceptro paterno cum reconciliata in gratiam Helena incolumem potitum [2]. His omnibus strictim potius indicatis quam fuse trac-

[1] Daretis, c. 25-43.
[2] Dictyos, lib. VI. Iscan. VI, 894–954.

tatis, nuntiat in epilogo, de quo supra dixi [1], poeta novo se poemati lyram intendere, modo in illa Antiocheide conficienda aliquem satis probatæ fidei auctorem nanciscatur : rem enim eam esse quæ minime mendacium toleret. Tunc priorem hunc poeticæ venæ laborem tumidiore clausula commendat, ad librum conversus :

Vive, liber, liberque vige ; sed, si qua nocebunt,
Disce libens livore [2] nihil sublimius esse.
Quum tibi mordaces obliquent læva cachinnos
Murmura, quum cupiant linguis lacerare profanis,
Sis utinam invidia dignus, quæ summa lacessit,
Quam pascit præsens, extremaque terminat ætas !

Descripsi jam totius poematis partes : in quo existimando quatenus amovenda sit omnis aut Homeri aut Virgilii memoria, satis per hoc breve compendium judicare licet. Omitto quod vel præcipuam componendi operis legem poeta neglexit, de quo Horatius optime :

Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum,

paulo minus enim noster curavit famam boni poetæ quam diligentis et religiosi rerum narratoris. Non ita se tamen Dareti adstrinxit quin et interdum quædam auctoris sui respueret, ut

[1] V. supr. cap. I.
[2] Juvant nostrum istius modi paromœa. Vid. infra.

navium recensionem aut militum dinumerationem. Utinam liberius egisset, et inter tot heroas vicissim in scenam inductos, aliquos adoptasset, quibus legentium mentes detinerentur, nedum inter plurimos distractæ fluctuarent! Satis certe fuisset in uno poemate Trojam semel dirui. At ipsa materia quam imperite per senos libros digesta sit, quem fallit? Vix quinto demum incipit expugnandæ urbis labor, ante finem sexti absolvendus; contra unius Paridis somnia enarrando plus quadringenti versus absumpti sunt. Indicant ista tironem poetam, ornamenta, non ut res poscant, sed pro ingenii libidine, diffundentis.

Verum de operis totius compositione hactenus. Jam ad ea quæ pertinent ad mores et ad personas transeundum.

Exigebat historicus color quem operi suo induerat Iscanus ut ab hominum commercio et contagione numina excluderentur. Bellum itaque Superis edixit; at non ita poetici tamen sermonis consuetudinem amoliri potuit quin veterum superstitionum labes in versibus inhæreret. Sic Nereidas inducit, prima rate pros-

pecta, stupentes, et excussum ab antris Nerea motatos fluctus horrescentem :

At fremitu accepto Nereus excussus ab antro
Motatis horrescit aquis... (I, 365).

Tum Neptuni vox auribus Argonautarum intonat, et pellis inauratæ furtum exprobrat :

Neptunum sensisse putes ; fugientibus æquor
Altius intumuit, fractique in littore fluctus
Intonuere simul : Procul, o procul ite, profani!
Non licet in sanctum cum præda tendere pontum.
(I, 179).

Alias, pavefacto insomniis Priamo, Tisiphone, injuriam Trojano nomini rapta Hesione factam exagitans, regem in arma impellit :

« Mene, inquit, reginam Erebi mundique potentem,
Atque utinam cœli, regnum mortale lacesset
Æternum? pudet, heu! lascivit terra superstes
Post Danaos quibus usa fuit, nostrisve triumphis
Contendit, vincique negat : ruat ocius ergo
A cunis concessa mihi ». Sic questa, quietem
Invidet exiguam Priamo, raptumque sororis,
Servilemque colum et lacrimas objectat inultas.
(II, 6).

Scilicet in materia tractanda fabulis veteribus adeo referta, sic animus poetæ inclinatur ut nec omnino Superos amovere valuerit, nec omnino asservare Imo, quo ipso tempore iis utitur, non potest quin eos objurget, fœdissi-

mas superstitionees indignatus. Si forte Achillem et Patroclum Delphos perducit Apollinis oracula consulturos, sedulo notat quam pronæ sint ad errores hominum mentes ; nihil porro insanius esse quam si quis opinetur Deum, mundi rectorem universi, de venturis rebus in antro vaticinari ; et statim ad tempus suum deflectens,

Ista priorum
Noxia simplicitas in nostros defluit annos
Incestatque fidem...
Ridentem sic odit anus præsaga soporem (*risus inter somnum sinister*)
Sic oris vacui casum (*oscitationem*) timet, augure plausu
Pieriæ volucris (*picæ*), aut indice nuntiat aure (*aurium tinnitu*)
Hospitibus numerum discessurisve recessum ;
(IV, 229).

versus sane elegantes et non illepidi ; sed quid ad rem ista anuum per compita hariolantium garrulitas? Sunt hæc et talia hujusce modi multo magis satiræ jocis quam gravitati epici carminis congruentia. Alias submersos fluctibus Tyndaridas narrat, falso in Deorum numerum credulitate popularium relatos, nec tam idoneam occasionem negligit orationem suam sententiis docte oppositis variandi :

Desine, Cecropii funesta licentia pagi,

Incestos generare deos ; non fabula cœlum,
Sed virtus non ficta dabit ; quos cæcus ab alto
Mersit in ima furor, in summos erigis axes,
Et similes Jovis esse jubes ; quos ignis in auras,
In scopulos sparsit fluctus, mentiris adeptos
Sidera, gentilisque preces deludis acerræ [1].
(III, 454 sq.q.).

Nimium et communibus locis noster abuti videtur, quum in tradendo inopino Hectoris obitu, hæc addit humanarum rerum usu manantia :

Eheu ! quam tenui nutant mortalia filo !
Nil homini fixum ; fortunæ munera blandæ
Insigdias, non dona, reor ; semperque timebis
Sirenum turbæ similes, sub sole sereno
Nubem, sub risu lacrimas, sub melle venenum.
Si tibi res, fallit casus, si forma, senectus,
Si vires, morbus, si nomen grande, litura
Postera ; et in nullis fati constantia donis...
(V, 510).

Locum præcido ; sed quam ista declamatorio generi vicina sint neminem fugit. Sic mirum in modum sæpenumero distrahitur noster inter narrandi curam et moribus aliquid impertiendi studium ; nec illorum affectibus movetur quos

[1] Ut fama apud Græcos vulgaverat Pollucem et Castora se vivos subduxisse, postea reversuros, ita Britones Arturum suum nondum desperare poeta commemorat :

Sic Britonum ridenda fides et credulus error
Arturum exspectat, exspectabitque perenne.
(III, 472, 473).

agentes aut loquentes inducit ; imo fit ut adversus illos argumentetur et quasi e cathedra disserat. Sic Paridem increpat cui paratas adulteris in Tartaro pœnas his verbis auguratur :

> Vade, nocens, quo noxa trahit....
> Te plaga, sulfureas Titanum amplexa latebras,
> Demerso clausura sinu, nox ultima et ima
> Poscit humus....
> Te portu procul ire Charon, et limine cogat
> Cerberus ; at tandem quum jam transmissus abibis,
> Occurrant Erebi pestes; mors omnis in unum
> Acceleret jurata caput.... ;
> (VI, 524).

et cetera, animose profecto, sed intempestive jactata.

Alias navim Argo poeta interpellat, multiplices leti formas mortalibus inferentem, sic exclamans :

> Quonam, quo, naufraga, tendis ?
> Quo populos in fata trahis... Scio, tædia tollis,
> Delicias leti quæris... (I, 86) ;

tum, quasi verba retractans, se ipse interrogat num dolere magis an lætari debeat reperto maritimi itineris usu :

> Culpemne ratem, quæ prima per undas
> Ad facinus molita vias, atque Atropon auxit ?
> An causa potiore probem ? Sine remigis usu
> Non nosset Memphis Romam, non Indus Iberum,
> Non Scytha Cecropiden, non nostra Britannia Gallum.
> (I, 190).

Redundat, quod molestius est, in ipsos rerum actores declamatoria ista dicendi ratio. Testis Pelias qui, quum ægre ferat Jasonem, fratris filium, contra opinionem omnium voti compotem reversum esse, in Deos atrociter invectus, sic tacitus frendet :

O Superi, quo tura meant ?...
Voluine sub Arcton
Proscripsisse virum ? regnat ; fregisse ? superbit ;
Exstinxisse ? viget ; titulos minuisse ? triumphat.
Ergo Deos dico ingratos ; da tura Tonanti :
Quum dederis, sperata neget, donisque retentis
Rideat elusum.... (I, 216).

Verborum tinnitus adhibet Hercules, et sedulo ipse fabulosæ infantiæ prodigia redarguit, quum, inter sollemnes epulas, injuriam a Laomedonte Argonautis illatam recordatus, suam increpat inertiam, et se divinitate sua et pristinis vitæ miraculis premit :

Ergo Jovem meritus cunali marte parentem,
Cœlestes docui mecum vagire dracones,
Prævenique minas ? Pudet heu ! vir, victor, adultus,
Barbaricis cessi, non viso milite, jussus !...
(I, 263).

His ampullis iram suam exasperat, quæ gloriosum nescio quem militem deceant, Alcide prorsus indignæ. Hæc omnia multo magis Se-

necæ calamistros redolent, quam morum veritatem.

Mitto perturbatam a poeta annorum seriem, ut quum flammis Neronianis simul ac Phaetonteis incendium Trojæ comparat :

Sic fatur (*Hecuba*), et ignes
Quos Phaetonteæ nequeant æquare favillæ,
Quosque neget tibi, Roma, Nero, minatur....
(VI, 837).

aut Priamus nomina Cyri et Crœsi testatur :

In miseras (*ait*) descendo preces ; sic India Bacchum,
Sic Cyrum Crœsus, Tamyrim sic, Cyre, vocabas.
(II, 43).

aut, in raptu Helenæ, noster contendit minime opus fuisse Ciceronis alterius facundia, sed auro et corruptela :

Manus aurea vincet ;
Plus opibus, minus ore potes : Cicerone secundo
Non opus est, ubi fantur opes.... (III, 250).

Ignoscenda hæc sunt eruditioris adolescentuli errata.

At multo graviora in eloquendo vitia Iscano exprobres, inter quæ nullum sane gravius quam putidam istam nugantis circa tenuissima quæque stili concinnitatem. Nunc, in ortu solis de-

pingendo, insulsam Auroræ ac Tithoni conjugis historiam inserit, dum Græci, pugnare cupientes,

> noctis dispendia damnant,
> Et venerem, Tithone, tuam, quum prævia Phœbi
> Amplexu gelido et sterili tardetur amore ;
> (V, 38).

nunc, redditam post imbres polo serenitatem sic expressam habet :

> Detersa meretur
> Juno Jovem, atque hilari solatur flentia vultu
> Nubila.... (IV, 310).

Monachumne XII sæculi credas pulchella hæc acuisse de Aurora, Memnoni filio illacrymante ?

> Stupet ebria tellus,
> Hos imbres non passa prius, sic ubere fletu
> Natum questa parens..... (VI, 272).

haud omni tamen ex parte nostro imputanda, quum talia nugetur prior Ovidius in Metamorphoseon Libro XIII[1].

Genus est ornamenti quod, in Darete nactus, sibi noster assumpsit. Quum enim fidem facere Dares vellet suæ sub Trojam militiæ, se haud

[1] V. apud Ovidium (XIII, 610 sq.q.) Auroræ lacrymas et volucrum « Memnonidum » tumultus.

semel vidisse finxit Trojugenum Danaumque duces præcipuos, et notasse quali habitu, qua facie, quibus moribus forent. Unde illi morum χαράκτηρες, quorum inventor procul dubio non exstitit pseudo-Dares, quos nusquam in Dictyis opere reperias. Homero, hercule! supervacuum visum erat de forma Helenæ copiose disserere; fuerat satis apud illum ipsos Trojanos senes eam ingredientem mirantes respicere. Sequentibus vero sæculis, aut tabellis pictæ sunt, aut ære atque marmore expressæ heroum effigies, et plurimis artium miraculis quasi consecratæ. Tum scriptores ipsi, cum pingendi aut fingendi magistris æmulati, stilo describere conati sunt ea quæ cotidie assimulata artificum manu intuebantur. Hoc præsertim tertio post Christum sæculo Philostratus in *Imaginibus* suis [1] et in *Heroico;* qui multum in describendis virorum ac mulierum figuris elaborat, quas pu-

[1] Vide Φιλοστράτου Εἰκόνων προοίμιον (F. Didot, p. 339), ubi leges : Ζωγραφία δὲ ξυμβέβληται μὲν ἐκ χρωμάτων, πράττει δὲ οὐ τοῦτο μόνον (sc. ὅ πράττει ἡ πλαστική)· σκίαντε γὰρ ἀποφαίνει, καὶ βλέμμα γιγνώσκει, ἄλλο μὲν του μεμηνότος, ἄλλο δὲ του ἀλγοῦντος, ἢ του χαίροντος· καὶ αὐγὰς ὀμμάτων ὁποῖαι εἰσιν, ὅ πλαστικὸς μέν τις ἥκιστ' ἐργάζεται, χαροποὺ δὲ ὄμμα, καὶ γλαυκὸν, καὶ μέλαν γραφικὴ οἶδε, καὶ ξανθὴν κόμην οἶδε, καὶ πυρσὴν καὶ ἡλιῶσαν, καὶ ἔσθητος χρῶμα καὶ ὅπλων..... His acerrimum artis pictoriæ laudatorem Philostratum agnoscas, quacum se stilo suo haud detrectare certamen ipse confiteatur, dummodo paululum urgeas.

tida stili affectatione, ad instar pictoris, delineat. Hoc plurimi sane ante hunc aut postea, ut mos est, effetis jam inventionis fontibus, ingenia litteratorum circa nugas occupari et tenuia omnia consectari. Ista autem, sive a Philostrato, seu ab aliquo Philostrati æmulo pseudo-Dareti tradita, ab Iscano pari sedulitate et a Benedicto recepta sunt. Jam nos hic hominum medii ævi indolem agnoscimus; qui quidem, ut est consuetudo puerorum, quos nunquam tædeat per infinitos rerum circuitus pedetentim incedere, qui nunquam interrogandi finem faciant, vel quum nullus jam supersit respondendi locus, cuncta de fabulosis istis personis minutius doceri gestiebant, quædam etiam requirentes quibus nos corrumpi potius quam augeri speciem pulchritudinis eximiæ judicemus. Magnum hoc, hercule ! et memoratu dignum illis visum est « notam inter duo supercilia habuisse » Helenam, aut Hectorem fuisse crispum et blæsum et strabum, Ænean « rufum et oculis hilaribus », Hecubam « aquilino corpore », Cassandram « mediocri statura et rufam », Polyxenam autem « collo longo et digitis prolixis », Briseidam « capillo flavo et molli, superciliis junctis ». Nec, in effingenda nobilium matronarum imagine, id omisere quod il-

lustres duodecimi sæculi mulieres maxime deceret. Sic est in Iscano Polyxena

humilis, simplex....
nunquam frustrata petentes (IV, 98).

ut in Benedicto Hecuba

Juste est, et pie, et dreiturière,
Et simple dame et almosnière ; (*R. de T.* v. 5497) ;

et quod de Briseida apud illum

arida nunquam
Poscenti pietas, et fandi gratia lenis (IV, 162),

idem ab altero dictum :

Et molt esteit bele parlière...
Simple et almosnière et pitose. (*R. de T.* v. 5270).

Juvant puerilia ista in lingua simplici et infantiæ propiore Maurani ; at in Iscano, munditias latini sermonis affectante, mire displicent. Ridemus, quum de Cassandra nostrum audimus sic mentis habitum et corporis notas confundentem :

Non cæca futuri,
Fulta gena tereti (*la figure ronde*), suspecto crine [1] cruorem
Mentitur.... (IV, 89) ;

[1] Omisit tamen oris ephelidas, quas accurate sive in viris, seu

aut quum in Nestore notatur

> Nasi grata minus brevitas incurva sedentis,
> (IV, 131).

quod crassa simplicitate « nasum obuncum » appellat Dares. At Helenæ

> Dextra nivem, dens lilia, colla ligustrum
> Æquat.... (IV, 181).

Vix nævus in perfecto corpore unus :

> Sola superciliis labes interflua raris
> Audaci macula discriminat.... (IV, 191).

Statim nobis venit in mentem Lucilii, jocose disputantis eamdem illam mulierem habuisse

> Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

At minime jocatur Iscanus neque hic, neque proxime, ubi, mixto cum poeta medico, monet officio naturali apud Helenam et præcordia et pulmones et fel defungi ; unius tamen partis vitio mores depravari ; nam

> teneri scintillat mollius æquo
> Pruritus jecoris.....
> Sic Helenam totam pars unica mergit...
> (IV, 205).

in mulieribus notat Benedictus :

> Li reis Pelidri fu molt granz....
> Le vis ot gras et lentillos (*R. de T.* v. 5283).
> Cassandra....
> Rosse ot la chière et lentillose (*ib.* v. 5509).

Felicem Priamum, felices et orbis utriusque reges, ni Helena jecore laborasset!

In Iscano quidem plus quam æquum sit voluptarium illud invenias, quo delectantur in primis medii ævi homines. Quam a verecundia abhorret et Musæ antiquæ castitate hoc, in ejusdem Helenæ imagine !

> Lenius ut pressis insidant basia labris,
> Parcius in roseum consurgunt ora tumorem....
> (IV, 184. Cf. III, 330 sq.q.).

Confer in auctore [1] ejusdem fere ætatis hanc formosæ Iseult effigiem :

« Ses cheveus resplendissent plus que fil d'or... Son front surmonte la flour de lys ; ses noir sourcil sont ploié autressi com petit archonciaux (arceaux) et une petite voie les dessoire (sépare) parmi la ligne do nez, et si par mesure (régulièrement), qu'il n'y a ne plus ne moins... La bouche petite et les lèvres auques espessettes et ardans de bele colour... De ses droites espaules descendent deus bras gresles et loncs à blances mains où la char est tendre et molle, etc... Et est si gresle en sa cheinture que len la porroit pourprendre (enfermer) des deux mains, etc... »

His voluptatum irritamentis sensus titillantur ; evanescit formæ species admirabilis ; corpus tantum pulchræ feminæ restat, licentius adamandæ. Nec dubium etiam est quin his des-

[1] *Le Roman de Tristan*, par Luces de Gast, circa annum 1170.

criptionibus sese insolentius efferentibus plurimum contulerit Ovidius [1]. Nulla inter veterum scripta sæpius legentium manibus teruntur quam mollissimi isti versus ubi omnia amandi artificia recensentur ac nullæ non lasciviæ depinguntur, quibus vero nulla subest sinceri amoris flamma.

Luce clarius est vi et spiritu carere Iscanum. Licet enim fiat ingens heroum mactatorum strages, et superveniat apud Trojanos Hectori Troilus, Troilo Sarpedon et Penthesilea, apud Græcos Agamemnoni Palamades, Achilli Neoptolemus, et plurimi densentur utrinque duces, etsi verba exaggerent pugnatores et vocem intendant, frigent pleraque : nihil legentium animos excitat. Non prœlium hoc, sed compendium prœlii habemus. Quanquam

multa sub ipsis
Millia mactantur portis.... (V, 507) ;

aut clava fretus, Troilus

Myrmidonas septem solo consumit in ictu ;
(V, 420).

[1] De quo v. K. Bartsch, *Halbr. vom Halberstadt und Ovid im Mittelalter.*

aut Paris, eodem fere momento,

> Ense Thoanta, Lamum telo, sude Dorcea fundit;
> (VI, 495).

et noster omnem machinæ heroicæ rationem percallet ac formulas [1], in explicandis cohortibus campum, in affectibus exprimendis spatium defuisse liquet. Ista brevitate cuncta extenuantur.

At quemadmodum ingentibus animorum motibus sustinendis impar Iscanus esse solet, ita liberius exspatiari videtur ubi quædam occurrunt minorem « oris hiatum » poscentia. Discumbentes circa mensas die nuptiarum sollemni convivas, regales optimatum fastus, contra jocosas vernaculæ multitudinis conclamationes, non invenuste sic expressit :

> Regia celsa nitet, complutaque murice, multa
> Purpura Sidonios dispergit in atria luxus,
> Sollemnem confessa diem, qua jungit herilem
> Juno [2] torum ; læto cuncti connubia plausu
> Concelebrant, populoque suo certamina prima
> Ventripotens ponit genius : cœnare decorum,
> Et mensas variare juvat. Nec pocula desunt
> Fecundam factura sitim : repetisse voluptas,

[1] Si fluctus Siculos, Libycæ si messis aristas,
Hyblæas si secter apes, tot vulnera, tantas
Haud tamen expediam cædes.....
(VI, 626. Cf. VI, 764).

[2] Intell. nuptias Hesionæ ac Telamonis.

Et vires conferre libet. Civiliter ipsi
Indulgent proceres cyathis, bibulique clientes
« Heus hymenæe ! » sonant, et, in aurea pocula fusi,
Invitant sese pateris ; plebs mixta tyrannis
Certatura suis, longique potentior haustus,
Plebeios gaudet calices et sobria vina
Regali mutasse mero..... (II, 76 sq.q.).

Nec displicet nostri ingenuitas, quum in parte tertii libri quadam nobis ostenduntur, qua die Trojam intrant Paris et Helena, pauperes tabernis ruentes et artifices ab opere cottidiano, videndi alacritate, digressos. Festum aliquod medii ævi spectaculum ante oculos panditur :

Nondum Sigeas, portu digressus, arenas
Dardanus attigerat ; meritos mentita triumphos,
Obvia pompa subit. Pars curru vecta superbo
Aerium suspendit iter ; pars cetera casum
Haud metuens, gressu vestigia paupere rexit,
Obsequio contenta pedum, et (quæ cura novorum)
Inachiam visura nurum. Plebs currit anhela,
Contemptrix operæ, nutricis et immemor artis,
Nec lucri meminit.....
At cui sublimes humeros proceraque colla
Invidit natura brevis, vel desuper altis
Incumbit tectis, vel recto calce fatigat
Articulos.... (III, 350 sq.q.).

Iis rerum domesticarum descriptionibus inest aliquid leporis, et licet ista infra epicam magniloquentiam jaceant, oblectant tamen, ut solet vitæ familiaris imago ; nec magis ausum esse Iscanum in suum tempus, quod feliciter

expertus est Benedictus Mauranus, demigrare, nos, hæc legendo, pœnitet.

Non inficetus sane in acuendis salibus homo ridiculam istam toties violati a Jove conjugalis fœderis causam in ipso Veneris ore collocavit :

Stulte, quid Europen, genero Jove, quæris, Agenor ?
Illa rapi meruit, raptorem excusat egestas,
Et thalami potioris amor : sibi maxima debet
Quod toties vidua est conjux Jovis ; alite fausto
Nupsisset stabilique toro, si prima tulissent
Fœdera plus formæ, linguæ minus : improba, turpis,
Garrula, legitimi mores incestat amantis.
(II, 550 sq.q.).

Insulsius, credo, irrideri queat intolerandum matrisfamilias arrogantis supercilium.

Libens denique protulerim pagellam, qua Paridis dolos, Helenam sollicitantis, noster depingit, cursus recursusque juvenis formæ suæ confidentis, seque spectandum ubique in ambulando offerentis ; tum oculos mentemque levissimæ puellæ et gestu et nutu aucupantis :

Postquam Helenes Paridi patuit præsentia, classem
Deserit, ac formæ fidens, et conscius oris,
Huc illuc gressum librans, qua Tyndaris ibat,
Indefessa vagis incessibus otia texit ;
Certantesque offert vultus, incendia nutrit
Mutua, captatumque brevi lucratur amorem.
Quippe nec ad cursum præceps, nec segnior æquo,
Librato gestu formam juvat : actus in armos,
In caput erectus, tenero delibat arenam

Incessu, figitque oculo mirante Lacænam,
Oblitosque gradus sistit. Suspectus haberi
Mox metuens, transfert celeres ad cetera visus,
Ceu stupeat quidquid spectet. Moderatius illa
Obliquos vultus et non ridentia plene
Ora gerit, totasque velit cum pectore nudo
Ostentare genas : sed castigator adultos
Comprimit excessus animi pudor, ægraque mixtus
Pulsat corda metus. Sentit Paris ; ardet et audet ;
Promissorque ingens, facilis præsagia prædæ
Ducit amor, dum signa juvant, dum nutus oberrat
Interpres, cordisque vagi præsentior index,
Leno oculus taciti garrit præludia voti....
(III, 223 sq.q.).

In tenui profecto labor, et hæc ab Ovidianis officinis pleraque desumpta ; nonne tamen in ejusmodi locis laudanda est eximia quædam scribendi cura, et, in levissimis ultro deprehendendis ac notandis, minime spernenda diligentia ?

Ceterum, quod claudicat in Iscano vel præcipua poetæ heroici virtus, « mens divinior atque os magna sonaturum », non ideo reputandus noster est omni peritia stili destitutus. Plurima enim ab illo excerpas et subtiliter, natura monstrante, observata, et diligenti manu expressa. Sic acerrimus ille militum et ducum impetus circa portam urbis tumultuantium, et in muros evadere certantium :

Asperrima cernas
Bella geri. Non præcipites telluris hiatus,
Non undas timuere viri ; sibi quisque videri
Dux aliis, milesque sibi. Pars cratibus instat,

Continuas molita vias, vallemque profundam
Molibus injectis vincit ; pars aspera clivi [1],
Impatiens hæsisse, subit. Jam copia muri;
Jam silices laxare licet. Sed desuper urgent
Dardanidæ, incussasque trabes et saxea volvunt
Fragmina : pars jaculis audax; pars, aspera flammis,
Flagrantes invergit aquas. Septum arbore Dymus
Affectabat iter, fixoque in mœnia vultu,
Hæserat : hunc latices decalcavere profusi,
Fulmineique imbres ; nudum spoliatur utroque
Crine caput, penetratque fluens in viscera vulnus.
At, testudineo Telamon defensus amictu,
Occultum furatur iter, silicumque tenorem
Ære domat, jamque in præceps pendente ruina
Cedit, et effracta tandem prior urbe potitur.
(I, 391).

Mitto peculiares loquendi formas, de quibus infra ; at in istis inventio sane laudabilis.

Nec semel ille cursus navium intra crepidinum moles pleno æstu allabentium speculatus est, qui sic gubernatoris cunctationem, ignoti portus fauces explorantis, depingit :

Ipsa, etiam clausisque Notis cœloque sereno,
Continuas hiemes portus angustia volvit.
Nec spatio laxum languet mare; crescit arena,
Consumptura rates, tellusque occulta vadosas
In cumulum suspendit aquas, mentita profundum.
Fluctuat ambiguus Tiphys ; prope littora spectat ;
Suspectam formidat humum, discitque timere,
Quo tutum sperabat iter : timor elicit artem.
Consultura vadum medias minor alnus in undas
Pellitur, et conto metitur judice pontum.
Littoris insidiæ postquam patuere, coacto

[1] Sic J. Morus ; male Dresem. : pars altera divi.

Inter utrumque solum decurrens limite, puppis
Arva petita premit, fractasque offendit arenas [1].
(I, 161 sq.q.).

Vivide et expressum casum habes Orontis cujusdam, cui res male vertit, dum appulsos littori Troico Danaos proturbare nititur :

Stabat in occursu pelagi Chaldæus Orontes ;
Dumque rates inhibere parat, suspensus in ictum,
Fallit arena pedes , et inanes excipit ausus,
Præcipitem mersura Thetis. Premit Inacha pubes
Desuper : ille pares in gyros brachia spargit ;
In mediis se librat aquis ; nunc exserit ultro,
Nunc caput immergit pelago, varioque timore,
Aut longos haustus aut tela prementia vitat.
Tandem, dum fluctus gravior rimatur opacos,
Incidit in puppes, frontemque infigitur uncis.
(V, 167 sq.q.).

Non est ille in ornandis narrationibus infelix, qui sic Danaos perempto Palamede attonitos et jam turbatos ostendit :

Non se turba regit...
Arma ipsa videntur
Posse minus. Sic, si ruptis moderator habenis
Deciderit, turbantur equi....
... et subita jam libertate potiti
Ceu timeant, incerta vago vestigia cursu
Præcipitant : lege hac fugiunt, hoc ordine fusi
Grajugenæ.... (VI, 145).

[1] Conferenda clandestina Danaum navigatio Trojanam oram noctu legentium :

Jussosque silere
Sulcat inoffensos tacito sub remige fluctus,
Incessum furata, ratis.... (V, 8).

Ita, Hectore defuncto, Trojani lugent, ut oculis animisque semper fortissimum ducem, tanquam absentem, requirere videantur. Nil simplicius, at nil miserabilius :

Stridentem litui gemitum, stridentia reddunt
Jussa tubæ, nullique sonant non triste tumultus.
Talis in adversas trahitur, duce Memnone, turmas
Mœsta Phrygum pubes ; poscunt remeare, negantque,
Venturusque Hector semper post terga videtur.
(VI, 14).

Illud de Priamo, priori urbis suæ eversioni superstite, graviter sane dictum :

Stant undique cives,
Solanturque suam, Priamo spirante, ruinam. (I, 460).

Movemur et fletu virginis Hesiones, quum victoris Telamonis captiva torum ingressura, tristis inter mensas geniales et lætos convivarum cœtus assidet; de qua noster :

Hesione spernit plausus, oditque faventes,
Et lacrimas bibit... (II, 140).

Poetice significatur duorum (Achillis et Antilochi) virtus, repetitis multorum hominum ictibus vix profligata :

Sic quercus geminas certat pagana bipennis

Centena truncare manu ; vix vulnere multo
Exhaustæ tandem nutant, lapsasque sequuntur
Immensæ pariter nemorumque virumque ruinæ :
Hand secus heroes perstant ; nec vincere pronum
Teucris, mille licet mortes hinc inde fatigent,
Nec jam vulneribus pateat locus : improba donec
Ipsa virum virtus fractos consumpserat enses.
Mox Phryges incumbunt propius, prolapsaque nondum
Congestis clipeis casura cadavera fisi,
Quos nequeunt armis, armorum pondere vincunt.
(VI, 443 sq.q.).

Eminet vero inter ceteras persona quædam, qua in effingenda manifesto recordatus noster est Virgilii Camillam et Statii Parthenopæum. Nescio quam alacrem et celerem in agendo gratiam habet Iscani Penthesilea. Jam ad ultimas necessitates redacti Dardanidæ labascunt, et optimis cum Hectore militibus amissis, salutem prope desperant, seque muris defendere satis habent, quum illa, peltatis cum virginibus succedens,

integrat arma, cohortes
Firmat, bellatrixque viris dat femina vires.
Panduntur portæ... (VI, 565).

Graii pedem referunt, et ægre castra tutatur Tydidæ virtus. Tandem ab insula Scyro arcessitus subit, spes ultima Achæorum, Neoptolemus. Instaurantur paribus copiis exercitus ; rursus vexilla et insignia gentis utriusque in

aciem prodeunt. Bene a nostro inducitur jam manus consertura Penthesilea :

> Eminet, horrificas rapiens post terga secures,
> Virginei regina chori ; non provida cultus
> Cura trahit, non forma juvat ; frons aspera, vestis
> Discolor, insertumque armis irascitur aurum.
> Si visum, si verba notes, si lumina pendas,
> Nil leve, nil fractum ; latet omni femina facto.
> (VI, 589 sq.q.).

Sic oculis tandem obversatur nostris eximia illa et clara pulchritudinis imago; sic Josephus semel,vel inscius, ad illud Homericum et Virgilianum exemplar redit, a quo toties deerravit.

Ausus est porro e Mycenis miles obscurus reginæ Amazonum illudere et insultare ; at in ipso convicio cadit, jaculo virgineo confixus. Multi occubuere ; tandem ille apparet, qui unus bellatrici respondere valeat, Neoptolemus. Hic decertandi formam contemplamur non apud Homerum usitatam, at bene Josephi æqualibus notam : decedunt utrinque exercitus, et liberum ambobus spatium permittitur ; tunc ex adverso sumunt impetum, et incitatos calcaribus equos, protentis lanceis, impellunt. Dissilit rupta contorum fraxinus, quorum

> Pars clipeis immensa sedet, pars spargitur arvis,
> Partem dextra tenet...

Tum propere equis desilientes comminus ense tentant aditus :

Prima erigit ictum
Virgo, sed ruptis obliquo vulnere cristis,
In clipeum descendit ebur (*ensis*), medioque retentum
Vix perfert umbone moras ; dumque elicit ensem
Altius impressum, lævam mucrone papillam
Transadigit Pyrrhus. Sic imperiosa virago
Degladiata ruit ; tanta est reverentia sexus,
Sidonias in crura togas sinuosaque texta
Colligit, et multum fatis irata fatiscit.
(VI, 644 sq.q.)

Nullus speciosior in toto poemate locus ; hic aliquid et de suo promere novit noster et libere alienis vestigiis insistere.

Sed de compositione et de personis satis : jam ad elocutionem venio.

———

9

CAPUT V

DE IMITATIONE LATINORUM POETARUM APUD ISCANUM; DE POETICA ISCANI ELOCUTIONE.

§ I. Belli Trojani præcipuum fontem Daretem esse indicavi; sed abundanter etiam in Iscanum et res et nomina ex libris poetarum latinorum profluxisse verissime animadvertit Dunger[1]. Multa nempe nostrum erudierunt Virgilius, Ovidius, Statius, Claudianus, quæ Dares prorsus ignoravit. Sic Statio paret, quum narrat (VI, 482) Menelaum, comitantibus Diomede et Ulysse, Scyron nave petiisse, unde Neoptolemum, patris ultorem, arcesseret : (Cf. St., *Ach.* II, 3 sq.q.) unius Menelai legationem Dares memorabat[2].

[1] V. op. laud. p. 24.

[2] Hic lepide memoriam nostrum defecisse notat Dunger ; nam, oblitus se modo Scyron ablegasse Diomedem et Ulyssem, statim ad Daretem vir optimus revertitur, et Diomedem egregie in acie decertantem inducit.

Raro quidem a vestigiis auctorum suorum noster digreditur et ingenio habenas permittit : opiniones, sententias, verba etiam illorum juvat usque referre. De cometis, regna dispensantibus, ut Lucanus et Papinius disserit :

Tot mundus miratur opes, tot sceptra cometæ
Dispensant... (II, 311)[1]

Se Lucani fatetur meminisse, quum nos monet in rediviva Priami Troja stare aram Jovis

Non sceptro et fulmine nudi,
Nec qualem Tyrius, nec qualem prædicat Indus[2].
(I, 540).

Plurima noster alludendo jacit, multam latinitatis poeticæ notitiam testantia ; sic eum Ovidius edocuit Althææ[3] furias, torremque illum, quo consumpto consumitur filii Meleagri vita ; necnon ceream effigiem, cui incumbens Lao-

[1] Cf. Luc., I .. et terris mutantem regna cometen.
Pap. Th., I, in fin. : ...mutant quæ sceptra cometæ.
[2] Cf. Luc., IX. .... Stat corniger illic
Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
[3] Isc., I, 203 ...laudatque suum Calydonia mater
Œniden, nondum tantum soror...
Cf. Ovid. *Met.*, VII, 463 :
Tum, conata quater flammis imponere ramum,
Cæpta quater tenuit : pugnant materque sororque...

damia solatur absentis Protesilai[1] desiderium :

> Et non sensuros vultus premit, oscula figens
> Cerea... (V, 199) ;

sic parentantium defuncto Memnoni, ut supra dixi, volucrum clangores (VI, 380) a Metam. libro XIII mutuatus est; sic ista, vel minime honesta deorum dearumque facta, ab eodem maledico ac parum verecundo poeta jampridem retecta, in lucem omnia noster protulit (V. II, 295, etc.).

Quamvis autem liberius se in effingendis virorum nominibus gerat[2] Iscanus, [promit enim de suo Libydam (VI, 239), Achonta (ib. 241), Leoconta (ib., 221), Stemona (ib., 240), Umbrasiden (ib., 254)], pleraque tamen e poetis suis hausit. Sic inter Argonautas, auctore V. Flacco (*Arg.*, I, 330, sq.q.), nominantur ab eo Tiphys (I, 166), Peleus (ib., 199), Nestor (ib., 200), Meleagros (ib., 203), Orpheus (ib.), Admetus (ib., 204), Talaus (ib.), Theseus (ib.), Idas (ib., 204), Ancæus (ib., 205). Prœlia sunt Daretis ; sed inter pugnatores præbuit Virgilius Oron-

[1] Cf. Ovid., *Her.*, 23.
Dum tamen arma geres, diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus est mihi cera tuos....
Adde sonum ceræ : Protesilaus erit.

[2] Male legit Dunger (p. 23) : Hyphitonenses (v. 246) ; legendum, cum J. Moro : Hyphiton ense (sternit).

tem (V, 177), Sthenelum (ib., 473), Polybeten (ib., 475), Thersilochum (VI, 236), Nisum (ib.), Rhoetea (ib., 239), Thessandrum (ib. 240), Acontea (ib., 239), Pholon, Œbalon (ib., 241), alia passim alii [1].

Patriæ aut patris nomine, ut poetis usitatum est, designantur sæpenumero viri : sic Amphitryoniades, Anchisiades (I, 203), Æsonides (ib., 174), Phyllacides (Protesilas) (V, 142) [2], Thestorides (Calchas) (V, 252), Menoetiades, Actorides (Patroclus) (V, 270), Cecropidæ (I, 190), Œbalidæ (Spartani) (VI, 218), Æmonidæ (Protesilai socii) (Cf. VAL. FLAC VI, 898), Phoronæi (Argivi) reges (Cf. STAT., *Th.*, XII, 465) etc...

Nec cœlicolas tantum, sed numina etiam maritima noster optime novit : ventorum regem Hippotaden (I, 96), et Corum, et Notum (I, 179), et Tritonum Nereidumque tribus. Denique nulla in parte mythorum claudicat, quam ab auctoribus suis eum edoceri licuit.

Sed quam docilis heroicorum fuerit alumnus,

[1] Sic Thiodamas ille, quem nostro Dunger (p. 23) imputat, apud Statium inter septem duces in locum Amphiarai sufficitur; vid. *Theb.*, l. VIII, 275 sq q. ; unde Thiodamanta suum Iscanus potuit educere.

[2] Idem infra, nec semel (v. 130 sq.q.) appellatur Hysiphides, quod ego corruptum loco vocabuli patronymici « Iphiclidæ » suspicor.

vel ipso dicendi genere patefacit Iscanus; illorum videlicet exemplaria nocturna versavit diurnaque manu; illos memoriæ affixit; illos imitando refert, non ut qui externis opibus penuriam suam furtim ampliare gestiat, sed qui vel inscius dilecta magistrorum vestigia relegat et remetiatur. Operæ itaque pretium erit ista latinorum heroicorum indicia in nostro passim notare; tum animadvertere quomodo ea, extrinsecus ducta, propria ingenii indole mutaverit, quatenus antiquitatis auctoritati concesserit, qua autem in parte ab ea deflexerit et in sæculi sui vitia præceps abierit.

Jam primum hinc illinc in Iscano prodeunt Virgiliana vocabula, ipsi orationis subtemini intexta, sic :

III, 10 : Totaque turicremis Panchaia spirat in aris...

III, 299 : Postquam exempta quies...

IV, 254 : Scitatum oracula Phœbi
Venerat... (Calchas).

IV, 332 : Explicat, agnoscens veteris vestigia cursus
Æsoniasque vias... (Philoctetes).

IV, 351 : Deligitur qui dicta ferat, qui pace sequestra
Res Danaum, Spartæ spolium, raptamque reposcat. (de Diomede),

V, 66 : Quisnam nudæ clausisset arenæ
Hospitium miseris ?

XI, 419 : Nil reputans, pacemque Deum, delubraque turbans.

V, 108 : Superisne manus et tela negemus[1],
Æacidæ ? vocat ecce Deus ; sol lætus anhelis
Instat equis.

V, 391 : State, viri, contra ; pacemne huc fertis an arma ?

V, 483 : Sic priscus suadet dolor... (de Junone)[2].

V, 503 : Vix martia tandem (de Hectore)
Indignante anima gelidos mens deserit artus.

VI, 738 : Phryx indice flamma
Pandit iter, laxatque fores...

VI, 849 : Pyrrhus ubi ? date tela, viri, date tela...

V, 471 : Teloque trabali
Idomenea petit... (Hector).

Agnosces notam de Turni imprudentia, Pallanta trucidantis, vocem (*Æn.*, X, 502) :

III, 54 : Heu ! Phrygii, gens non præmensa futuri [3];

nos ad Euryalum (*Æn.*, V) refert hoc minus felix :

IV, 65 : Mixtoque vigore
Gratior illustres insignit gloria vultus.

Hucusque vero noster Virgilium imitatur;

[1] Cf. VIRG., *Æn.*, VI, 47 : deus ecce, deus !...
...*ib.* 52 : cessas in vota precesque,
Tros, ait, Ænea, cessas ?...
Nos ubi primus equis oriens afflavit anhelis (G., I, 250).

[2] VIRG., *Æn.*, I. Necdum etiam causæ irarum sævique dolores
Exciderant animo....

[3] Perperam verbum « præmensa » et genitivum « futuri » posuit Iscanus.

etiamsi rei similitudo invitare videatur, ut in exscensione Græcorum narranda (l. VI), aut in adumbranda novissima Trojæ nocte (l. VI), nusquam nos ad cogitationem Virgilii transfert. Quum tres illæ deæ oculos nostros subeunt inter se de formæ præmio decertaturæ, plurima noster circa vulgatas fabulas ludit, ut qui facta Olympi domestica proterve introspexerit, aque Chao Divum numeraverit amores : at nihil inter somnia illa sua Paris, nec Junonis, nec Veneris, neque Palladis ipsius ex ore dignum gravitate Virgiliana lapsum audiit.

Apparet simile quiddam inter Argonautica Val. Flacci et librum Iscani primum exsistere. Non videtur tamen noster multum Val. Flacco usus, paucis, de quibus infra disseram, vocabulis exceptis. Vix in perpetua narratione unam rem aut alteram congruere animadvertes ; sic, apud V. Flaccum, jactatam tempestate navem Neptunus compellat (I, 230) :

> Miseris tu gentibus, Argo,
> Fata paras... ;

sic noster, vocem intendens (I, 85) :

> Quo, naufraga, tendis ?
> Quo populos in fata trahis ?

in sequentibus pro more suo ampullatur. Nul-

lius quidem vestigiis insistit, quum Argonautas ad Phasidis ostium exponit (I, 156 sq.q.) : at Medeæ amores, fuse a V. Flacco tractatos, et ignoravit Dares, et Iscanus siluit.

Contra miro ardore Statium amplexus videtur. Sunt quippe in illo poeta speciosiores quædam vel in minus probabili dicendi genere virtutes, quibus facile deliniuntur juveniles animi. Placet apud Statium vel hoc quod singula ingeniosa atque arguta eadem stili industria persequitur, nec non flosculos et munditias undique diffundit, et omnia ad unguem perpolienda curat, nec tam movere legentium animos gestit quam subtilitate pingendi mirantium clamores concitare. Adde artificis manus præstigias, et bene sonantium verborum concinnitatem, et rotundas numerorum clausulas.

Plurima itaque apud Iscanum Papinianæ imitationis indicia se produnt. Namque, et ab initio poematis, versus :

Iliadum lacrimas, bis adactam cladibus urbem
In cineres, etc ..

Thebaidos incipientis, si non tenorem ipsum, at verba aliqua referunt (*Th.*, I, 19, 20)

Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum,
Et conjurato dejectos vertice Dacos.

Longum esset manu digitoque monstrare ea quæcumque eodem fonte manant. Ait noster :

I, 122 : Omne homini commune solum ;
Statius (*Th.* VIII) : Omne homini natale solum ;
et I, 483 : Et lucro jactura fuit... ;
Statius (*Th*) : Par jactura lucro...
Isc. VI, 838 : Quos (*ignes*) Phaetonteæ nequeant æquare favillæ;
St. (*Th.*) : Et Phaetontea mundum squalere favilla.
Isc., IV, 426 : Agnoscitque manum... (Achilles suam [Teuthrant
St. (*Th.*, VIII): Seseque agnovit in illo (de Menalippo occ. [Tydeus
Isc. (IV) : Reliquis que superbior umbris.
St. (*Th.*, 10) : Multumque aliis jactantior umbris (Capaneus).

Apud illum, (*Th.*, VIII) :

Formidabile ridens (Tydeus) ;

apud nostrum (V, 206) :

Formidabile frendens (Æacides).

Dixerat Statius de Mercurio aera pennis secante (*Th.* I) :

Ilicet igne Jovis lapsisque citatior astris ;

item Iscanus de Ajace et Menelao (V, 328) :

Jovis igne citatius ambo
Objectam rumpunt turbam, mediosque per enses
Accelerant...

Ille (*Th.*, II) :

Infaustum nubentibus omen ;

hic (VI, 120) de Palamede :

Faustumque suis comitantibus omen,
Impete Deiphobum primo petit ;

ille (*Ach.*) :

Stimulatque Agamemno volentes ;

hic (IV, 53) :

Stimulat Bellona volentes ;

in illo :

Nocturnæque gemunt stryges et feralia bubo ;

in hoc, iisdem præsagiis fertur

Noctivagas ululasse stryges, bubone sinistro.

Ubi propemodum puer Neoptolemus aciem ingreditur (VI, 601),

breviorque manus vix colligit hastam,

nobis in mentem venit Achillis, quum jam vestem virgineam exuit (*Ach.*, II, 205),

breviorque manu consumitur hasta.

Menelaum noster inducet fluctus, arcessendi Neoptolemi causa, secantem et Cycladas prætereuntem, hunc in modum (VI, 480) :

> Noviquo, et dicere pronum
> Quas remo lassarit aquas...,
> quum puppe propinqua
> Te, Delos, te, celsa Samos, te, Bacchica Naxos,
> Raderet ;

itineris vero ordinem et ipsa verba Statius prior indicavit (*Ach.*, II, 4) :

> Jam raditur alta
> Lemnos, et a tergo decrescit Bacchica Naxos ;
> Ante oculos crescente Samo, jam Delos opacat
> Æquor [1].

Est ubi non sine quadam eruditionis ambitione fontem ipse imitandi poeta retegat. Telamon, Hesionæ matrimonio superbiens (II, 185) :

> « In hos, ait, ire lacertos
> Emerui gladio. » Sic interfatur, et illud
> Dircæum memorat : « Teneo, longumque tenebo » ;

Statim Eteoclis reminiscimur verba hæc intoleranda superbia jactantis ad Tydea, Polynicis alterna jura defendentem (*Th.* II) :

[1] Jung. Isc. III, 412 : Maleæ quos erigit umbo, (duces)
Quos Larissa fovet... etc...
Stat. *Ach.* II : Undisonæ quos circuit umbo Maleæ.

Quæ sors justa mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicavit honos, teneo longumque tenebo.

Sed quid plura? jam nullam Iscani paginam evolvere queamus, quin et in descriptionibus, et in sententiis, et in omni elocutionis contextu, serpere Papinianæ dictionis indicia aliqua suspicemur.

Possim ego istac persequi et palam facere, quum nullos fere ignorari ab Iscano latinitatis poeticæ locos, tum quædam occurrere apud eum, sive Persii [1], seu Juvenalis [2] memoriam clare indicantia, nisi malim ad Claudianum prævertere, a quo non ita in multis quam in illustribus carminis sui partibus constat nostrum esse aliquid mutuatum. Sic, quum libr. I, v. 523 describitur Simois fluvius, post multos circuitus in mare tandem erumpens :

[1] Isc. III, 433 : Dum præceps animus. dum nil decoctius audet
Ira recens...
Cf. Pers., I, 125 : ...si forte aliquid decoctius audis.

[2] Isc. II, 589 (de Ganymede) : Flos Asiæ...
Isc. II, 133 (de Hercule) : si jusseris, ibunt
Monstra procul...
Cf. Juven. S. V, 56 : Flos Asiæ ante ipsum.
Id., S. III, 78 : Græculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit.
Iscani hoc de Troilo (V, 416) :
Myrmidonas septem solo consumit in ictu,
Atque alios septem, si septem forte fuissent...
Juvenali consonat exclamanti (VI, 641) :
Tune duos una, sævissima vipera, cœna?
Tune duos? — Septem, si septem forte fuissent.

Suspensis infensus aquis violentior instat
Nereus, atque amnem cogens procul ire minorem,
Proximus accedit urbi; contendere credas
Quis propior...,

non multo hæc Dresemio abludere videntur ab illis Claudiani in VI Consulatu Honorii hunc in modum exsultantis :

Jamque ora Padi portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, et pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte, vehit.

Noster (VI libro) in Paridem vitam exhalantem invehitur, cujus Manibus supplicium adulteris intra Tartareas sedes reservatum tali voce intentat (v. 524, sq.q.) :

Te sexta meretur
Tænariæ spelunca domus, si quartus amores
Tractus habet, quintusque viros....
Te plaga, sulfureas Titanum amplexa latebras,
Demerso clausura sinu, nox ultima et ima
Poscit humus ; tibi Styx odium, Phlegethonque vapores,
Cocytus lacrymas, Acheron lamenta propinat...
Hæc gaudia sumas,
Dum mare sorbet aquas, imbres dum nuntiat Iris...

Infernorum tractuum partitionem a Virgilio forsan [1], verba certe a Claudiano sumpsit : cu-

[1] Suspicor ego, quamvis aliter sentiat Dresemius (cujus vid. not. ad l. VI, v. 524) hanc locorum inferorum descriptionem a

jus nostrum imitatorem exsistere facile, ut jam notavit Dresemius, vel unicus hic versus arguat :

Dum mare sorbet aquas, imbres dum nuntiat Iris.

Sic enim Claudianus in Rufinum declamatoria sua voce perorat :

Tollite de mediis animarum dedecus umbris ;
Adspexisse sat est : oculis jam parcite nostris,
Et Ditis purgate domos. Agitate flagellis
Trans Styga, trans Erebum ; vacuo mandate barathro
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos, qua noctis opacæ
Fundamenta latent ; penitusque immersus anhelet,
Dum rotet astra polus, feriant dum sidera venti.

Eumdem sensum, eamdem vim imprecandi utrinque reperis, iisdem fere verbis expressam.

Virgilio mutuatum esse Iscanum. Nihil obstat enim quominus in Æn. l. VI senas suas noster plagas invenerit, hunc in modum distinctas : 1° Vestibulum « primis in faucibus Orci », ubi « terribiles visu formæ et variæ monstrorum facies » stabulant ; 2° Spatia Cocyti stagnis et Stygiæ paludi adjacentia, quæ complet defunctorum corporum « inhumata turba »; 3° In ripa Stygis ulteriore, prætorium Minois, quæstiones exercentis; 4° « Lugentes campos » et myrtea nemora, iis assignata

quos durus amor crudeli tabe peredit ;

5° Ultimis confiniis arva « quæ bello clari » inter proelia « caduci » viri « frequentant ; » 6° Tartara, flammis Phlegethontis torrentibus ambita, intra quæ scelerum immanium piacula solvuntur.

Alias Allecto inducitur, item e Claudiano deprompta. Locus est libri illius II, in quo nostrum exhibere voluisse dicas quidquid in fabulis tractandis valeat. Namque, ut apud Claudianum (I, 25, *In Ruf.*)

Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox
Allecto, placidas late quum cerneret urbes,

sic apud Iscanum indignatur Furiarum natu maxima Trojæ jam semel expugnatæ resurgere mœnia, et illas

quas fregerat arces
Fortuna meliore frui ; videt, ardet et hydris
Irascens circumque genas et tempora crebris. (II, 4).

Gratiæ nostro agendæ quod non ultra auctori suo obsequitur, et abstinet « lambentibus ora cerastis » et ceteris teterrimæ formæ portentis, quibus redundat Claudiani locus.

Prætenditur et VI libro luculenta descriptio, quum prodeunt novissimam in aciem ultimæ Trojarum cohortes; poetice hominum desperationem simulare videntur ipsa remissiore flatu vexilla sublata (v. 5) :

Signa ipsa minus pugnantia vento
Mentitas laxant animas, morituraque tardis
Flatibus inclinant faciles languere Dracones.

Conferenda similis Claudiani pictura (*de III Cons. Hon.*) :

Hi picta Draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila serpens
Iratus stimulante Noto, vivit que receptis
Flatibus, et vario mentitur sibila tractu.

Verba eadem apud nostrum obversantur, non inscite ad alios animorum affectus exprimendos inflexa.

Denique nonnihil Claudiani deprehenditur in istis virorum et matronarum nobilium imaginibus, tum maxima cura, tum pessimo stilo elaboratis. Reddendum enim cuique suum est, et fatendum, excusandi nostri gratia, non Daretem solum illic subesse, sed Claudianum etiam. Nonne, in venditanda Mariæ, Honorii conjugis, eximia pulchritudine, talia reperiuntur (*de Nupt. Hon. et Mar.* v. 265 sq.q.)?

Non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quam juncto leviter sese discrimine confert
Umbra supercilii ! miscet quam justa ruborem
Temperies ! nimio nec sanguine candor abundat... [1]

Hippocrate sane aliquo cavillante dignior

[1] Cf. Isc. IV, 158 (de Briseide) : ...umbræque minoris
Delicias oculus junctos suspendit in arcus...
Id. *ib.* 178 (de Helena) : ...gena candida byssum
Æquat, dextra nivem, dens lilia, colla ligustrum...

quam sobrio Musarum alumno ista Promethei, alias aliis corporis humani partibus cupiditates collocantis, deliberatio :

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi
Præcipitemque sui ; rabie succensa tumescit,
Contrahitur stupefacta metu : quumque omnia secum
Duceret, et requiem membris vesana negaret,
Invenit (*artifex*) pulmonis opem, madidumque furenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At sibi cuncta petens, nil collatura cupido,
In jecur et tractus imos compulsa recessit... [1]
(*de IV Cons. Hon.*, 242 sq.q.)

Patienter ista in effigie Helenæ ab Iscano audienda sunt, quum talia prior effutiat Claudianus.

Hæc quæ supra dixi manifestum facere possunt quantus in imitandis poetis latinis, Papinio in primis et Claudiano, fuerit Iscanus. Ii enim bonam verborum et sententiarum partem suppeditavere qua vestiret nudam et aridam Daretis epitomen. Linguæ vero latinæ veteri

[1] Cf. Isc. IV, 193 sq. q. (de Helena) :
At nimis insignes latebras secretius ornat,
Vitalesque colit thalamos, et digerit urbem
Interior natura suam : cor principe motu
Libratum disponit opus, etc...
...at teneri scintillat mollius æquo
Pruritus jecoris, meritæque insignia famæ
Mergens, nativi titulos incestat amoris.
...Sic Helenen totam pars unica mergit...

quatenus nova ex suo tempore sumpta adstruxerit, aureo Musarum sæculo prorsus repudianda, jam sequentibus pagellis edisseram.

§ 2. Quum nos Iscani poema in manus sumimus, duo omnino inter se contraria notamus. Ille, in construenda oratione, exactis rationibus utitur; grammaticorum legibus inservit, in usu modorum, et temporum, et casuum, et præpositionum, et conjunctionum scrupulosus; vix unum aut alterum apud eum solœcismum carpseris, ut quum dativum subjungit verbo « poscere, » aut personaliter « juvat », active « cessare » usurpat [1]; istis sublatis, in hac parte elocutionis plane criticis absolvendus. — At idem ille neutiquam pari reverentia corpus ipsum linguæ latinæ tractat : plurima nempe, ut mos est æqualibus suis, « cinctutis Cethegis, » quod ait Flaccus, inaudita vocabula in orationem suam admittit; immo vero, quod multo sane molestius, notis et bene so-

[1] VI. 715 : *Poscit* iter *Danais*...
VI, 801 : *Permissus* cecidisse *juvat*...
VI, 698 : Ergo dolis *cessare dolos*... Sc. finem dolis imponere. Male adjicit H. Weissenborn (*Encycl. Ersch et Gruber*) « deesse »; nam Iscanus, VI, 849, legitime dicit : Me miseram ! deerit ne hostis ?...

nantibus verbis novos et vetitos sensus imponit; damnatas interdum recto judicio societates inter voces copulat, ita ut ille optimæ antiquitatis discipulus stupeas et indigneris quantum in depravatas temporum infelicium dicendi formas digrediatur. Indulgentiam vix obtinet et excusationem is, quem jam summa laude dignum reputabamus.

Ita enim se res habet. Audaciores sunt in verbis fingendis et Iscanus et ejusdem temporis scholastici. Neque enim erat tum latinus sermo ita absque cotidiano usu relegatus ut eum caute homines timideque tractarent. Contra ut proprium et vernaculum habebant, neque ulla unquam verecundia præpediebantur quin nova quæ usus rogaret nomina subinde arcesserent donarentque civitatis jure. Et illam hercule! audaciam auctoritate sua Flaccus ipse tueri nescio an videatur. Hæc tantum reminiscere :

> Ergo, cur acquirere pauca,
> Si possum, invideor, quum lingua Catonis et Enni
> Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
> Nomina protulerit ? (*Ad. Pis.*, v. 55).

et cetera, quibus sagacissimus judex promoveri linguæ patriæ terminos sinit, nec vetat novis usque opibus attritas usu facultates reparari. Fatendum tamen est parcius hac li-

centia jubere Horatium scriptores uti, neve animo prospexisse id, incredibile sane, aliquando eventurum esse ut tantum jus in nobilem Quiritum orationem affectaret Anglica aut Saxonica gente aliquis.

Diverse porro novari vocabula possunt, sive quum prisca, dudum desueta et obsoleta, in lucem revocantur, seu quum nova ex notis per similitudinem informantur, aut quum externa lingua deprompta quædam in patrium sermonem vi ingeruntur, denique ubi novi et absurdi sensus pristinis vocabulis subduntur,quod certe pessimum depravationis genus.

Omnia ista deliquit Iscanus.

Ponit singularem numerum pro plurali, unice usitato in adjectivis distribuendi, non autem ordinandi notionem subjicientibus :

> Ultimus hic Danaum *ter dena* [1] classe secutus
> Signa ducum.... (V, 8).
> Puppe *bis undena*.... (VI, 882).
> Et quos *ter quina* fregit Tyrinthius alno... (V, 93).

Antique dicta :

Munerat, pro « remuneratur » :

[1] Liceret tamen nostro auctores advocare OVIDIUM : (*Her.*, XI, 46) : *Dena* luna ; sc. *decima* quaque luna ;
PLINIUM (*H. Nat.*, XVII, 11, 16) : scrobes non altiores *quino* semipede... etc...

Te luctibus ecce
Munerat (II, 541).

Transiet, pro « transibit » :

Durabunt actus, at *transiet* [1] auctor (VI, 34).

Resurgere videmus caducam inde a temporibus Plautinis vocem *dapsilis*, id est « lautus, opulentus », qua, a rebus ad personas detorta, et pro « largus, munificus » usurpata, abutuntur Dares [2] et Albertus Stadensis. Noster priscæ significationis tenax, latine ponit :

Has mensæ genialis opes, hæc otia curæ
Dapsilis..... (I, 257).

Hic aliquid respondendum censeo d. H. Weissenborn [3] Iscanum severius exagitanti quod

[1] Cf. Tib. I, 4 : Ah ! si tardus eris, errabis : *transiet* ætas.

[2] Dares, XII : Polyxenam candidam... animo simplici, largam, *dapsilem* ; XIII : Patroclum pulchro corpore... prudentem, *dapsilem*...

Alb. Stad., II, 75 : *Dapsilis* et prudens Patroclus... et pass.

Cf. Ebrardus bethun. : *Dapsilis* est dapibus, aliis rebus quoque largus. Ord. Vit. L. IV : hic non *dapsilis*, sed prodigus erat... (V. Cang. V° *Dapsilis*).

[3] Encyclop. Ersch et Gruber, S. II, t. 24, p. 313, not. 52. Oblitus sane Weissenborn hoc Virgilianum : (*Ecl.*, VIII, 75).

Numero deus *impare* gaudet,

nec non Valerii Flacci :

Nec *separe* contegat urna, etc...

constantem denique optimorum usum.

corripuerit ablativum in adjectivis a simplici « par » derivatis, ut « impare, dispare, separe... » Quid vero sit in hoc enorme non dispicio, quum in iis formis exhibendis auctoritate Maronis Statii et Val. Flacci se noster tutari facile queat; et ego quidem sic statuo absolvendum prorsus mihi videri Iscanum, quoties in sensu aut in vocabulo aliquo poetam minus bonæ, dummodo classicæ notæ, pro se habuerit. Sic, nullo adversante noster precor exhibeat :

VI, 227 : *Jaculabilis* [1] hasta Menalcæ ;
II, 72 : Otia *dequestus* [2] cedit ;
VI, 536 : Saxum *remeabile* [3] reddat
Sisyphus ;
V, 113 : Non sic *insibilat* [4] auster ;
VI, 678 : Nec sola *gemiscit* [5]
Ilios ;

fatiscere, idem significans quod « succumbere, prosterni » :

[1] Cf. Stat. : *Jaculabile* pondus ; Ovid : Telum *jaculabile*...
[2] Cf. St., *Theb.* I, : Notos *dequestus* et imbres...
[3] Id. *ib.* Quis enim *remeabile* saxum...
[4] Id. *ib.* VI, 421 : Densis *insibilat* aer
Verberibus...
[5] Claud. (*Rapt. Pros.*, III, 130) :
Si buxos inflare velim, ferale *gemiscant*.

VI, 651 : Multum fatis irata *fatiscit* [1] (Penthesilea).
V, 201 : Curru non agnoscente, *fatiscit* (Protesilaus).

At nullo satis idoneo auctore dicta : *unire*, pro « conjungere » :

IV, 270 : Tres *unit* jurata fides...

magnificare, pro vulgari « illustrare » :

IV, 128 : Nestora *magnificat* morum prudentia...

item *peregrinare*, quod et proprie, de fluvii cursu :

I, 526 : Alio *peregrinat* ab orbe...

et abusive de lingua :

I, 538 : Blandos *peregrinat* in usus;

de « obvius » *obviare :*

III, 437 : Nox *obviat* atra [2];

de « magister » *magistrare*, quod non soli nostro imputandum :

[1] St. : Nostra *fatiscit*
Laxaturque chelys...
Val. Flacc : In lacrimas ægramque *fatiscunt*
Segnitiem...

[2] Jung. V, 238 : Pluribus *obviat* unus... etc.

IV, 333 : Si quæ subeunda *magistrat*,
Quæ vitanda, docet... (de gubernatore) ;

de « confluere » *confluus* :

I, 529 : Undique siderei majestas *conflua* mundi...

id est : *Cœlicolæ omnes in unum congregati;*
de « umbra » *umbramen* :

I, 429 : Clipeique *umbramina* raptim
Dissipat...

id est : *clipei præsidium effringit...*
de « neuter » passivum *neutratus* :

III, 361 : Sidereas *neutrata* genas (de Helena, fuco genas illita).

de « medius » adjectivo verbum *mediare* [1] :

I, 505 : Haud procul incumbens urbi, *mediantibus* arvis
Idæus consurgit apex...

de « pyra » *pyralia*, pro « funalia » :

[1] Habet noster infimæ latinitatis : II, 542 *deitas rugosa*, sc. dea ævo grandior ; II, 104, Plaudite *concives* ; VI, 262 :
...trahitur retinentibus ille
Scansilibus... (étriers) ;
II, 579. Qui titulum *paritatis* habet... (id est, qui integrum judicium ostentat).

I, 499 : Exhalant piccas incensa *pyralia* flammas [1].

Novat noster de « planus » *planare*, cui notionem « cantu mulcendi » subjicit :

VI, 384 : Luscinia *planat* [2].

Fingit de « Simois » *Simoentis* adjectivum :

III, 200 : Atrides molitus iter, *Simoentide* pinu
Adspecta...

Notandum *imprægnare* verbum, cum significatione activa :

I, 106 : Hic evocat antro
Qui vela *imprægnet* zephyrum...

Introduxerat infima latinitas in politam orationem participium *complutus* de primitivo impersonali « compluit » ductum, idem sonans quod « imbre madidus ». Hoc recipit noster, et translative pro « repletus, imbutus, tinctus » usurpat :

[1] Jung. *conjugus*, instar « conjugalis » :
II, 340. *Conjuga* Divæ
Gaudia nuptarum, dotes et pignora jactant,
ait Minerva adversus æmulas virginitate sua glorians.
[2] DRESEM. : καταλεαίνει.

I, 471 : Interno *compluta* dolore...

III, 246 : *Complutaque* murice vela...

II, 76 : *Complutaque* murice multo
Purpura...

Barbare noster significationem verbi *fastidire* pervertit, quod jam non « fastidio rejicere » sed « fastidio afficere » sonat, hunc in modum :

I, 98 : Tene angue vel armis
Patrandum *fastidit* opus ?

scilicet : *tædet ne operis dolo vel armis perpetrandi?*

I, 219 : Quorum *fastidit* usus regnare negantem,

intellige : *eæ opes quarum possessionis tædet illum qui regno valedicit;*
eodem abusu :

I, 198 : Auris
Fastidita neget faciles ad singula nutus;

intellige : *tædeat auditores mihi singula recensenti morem gerere.*

Alias legimus translative :

III, 394 : Quod nomine sacro
Incestum *phalerare* juvat...

quum apud idoneos scriptores passivam tan-

tum formam inveniamus « phaleratus[1] », proprie idem sonantem ac « phaleris ornatus ».

Impersonale *diescit,* idem quod « lux oritur », noster active usurpat de Venere :

II, 607 : Sic effata, genas rapto depromit amictu
Nuda humeros, exserta sinus, totoque *diescit,*
Ore...

Profert semigræcum *falsigraphus,* sic enim poetas appellat :

II, 484 : Non nego (fingit enim, nullique hac parte secunda),
Falsigraphos commenta docet (Minerva) ;

græcum *arteriam* :

I, 94 : Pars ore canoro
Nativas ostentat opes, contentaque nervis
Arteriæ, non artis opem, non carmina nervi (*lyræ sonos*),
Ad vocis mendicat opus...

de choro absque symphonia concinentium.

At mirificum hoc habemus hebraïcum *phariseare* [2], quod e Septuaginta Interpretum

[1] Jung. IV, 102.
Mixta virum *phalerant*.....
Virtus, nobilitas dives, facundia prudens...
Apud Terentium tamen translative, *Phorm.* III, 2, 14 :
Adeon'te esse incogitantem atque impudentem
Ut *phaleratis* dictis ducas me.

[2] Male Dresemius legit in nostro « phariscat », quod verbum sexcentis modis torquet, nec intelligit.

scriptura derivatum in omnes fere medii ævi scriptores irrepsit, quodque Cangius (V° phariseo) « dividere, separare » interpretatur, ex hebraico *phares* « divisio » et *phariseus* « divisus ». Noster, I, 125 :

Sacrilegis naturam barbarus ausis
Contrahit, et proprios Phrygiam *phariseat* in usus [1].

Venio ad aliud verba novandi genus, quod, multo sæpius apud nostrum frequentatum, nec vim linguæ adhibet, et se quodam bonorum auctorum patrocinio tueri queat. Sunt enim vel in ipso Horatio, qui non dubitavit præceptum a se enuntiatum exemplis confirmare, ea quæ aiunt ἅπαξ λεγόμενα, ut *prodigialiter*, *socialiter*, quibus sane deceat adjungere *deprœliantes, denormat, delitigat*, nec minus feliciter composita *belluosus, tauriformis, centi-*

[1] De Laomedonte, Argonautis littore Sigeo interdicente.
Cf. GALT. *Alex.*, IV, p. 32 ;
Consilio juvenum *phariseat* cisma perenne
Cum regno populum : lis est de divite regno ;
ALAN. DE INS. in *Plactu naturæ :* quæ (vestes) virgineo corpori tanta fuerunt connexione conjunctæ, ut nulla exuitionis diæresis eas aliquando faceret virginali corpori *phariseas*.
NICOL. DE BRAIA, de comite Sancti Pauli sub Avenione :
Quumque comes regis a castris se *phariseum*
Cerneret...
Id., de Eteocle et Polynice :
Frater et a furiis fraternis se *phariseat*.

manus, etc. Quædam et de suo ante Flaccum prompserat optimo jure Lucretius [1], ut *anguimanus*, *falcifer*, *frugifer*, *silvifragus;* Virgilius [2] exhibet *velivolus*, *armipotens*, *armisonus*, *aliger*, *luctificus*, et alia quam multa a veteribus poetis in linguam poeticam recepta, et posteris tradita ! Noster et nota istius generis vocabula ab aliis mutuatur, et similia fingere audet, sic :

VI, 225 : At *glandiflua* præventus habena
Occidit :
I, 414 : *Monstripari* pacem pelagi sancire...
I, 52 : Luserat *omnificæ* quondam solertia curæ.

[1] Lucr. V, 1303 : *Anguimanos* belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre...
Id. III, 644 : *Falciferos* memorant currus abscidere membra...
Id. VI, 1 : *Frugiferi* fetus ; I, 3, terras *frugiferentes;*
Id. IV, 273 : Montesque supremos
Silvifragis vexat flabris...

[2] Virg. : Despiciens mare *velivolum* terrasque jacentes...
Æ. I, I, 228.
Divæ *armipotentis* ad aram...
Æ. II, 425.
Et numina sancta precatur
Palladis *armisonæ*...
Æ. III, 544.
Ergo his *aligerum* dictis affatur amorem...
Æ. I, 663.
Luctificam Allecto dirarum ab sede sororum...
Æ. VII, 324.

Vide E. Benoist (*Virgilii Opera*, t. III, p. 451, sq.,q.) indicem verborum quæ Virgilius aut resumpsit aut novavit.

II, 435 : *Omnifico* vultu mentita favorem.
VI, 115 : Torserat *astrivagum* pacta in vestigia Phœbum
Annua mobilitas.

Usu celebrata *ludicer*, *æquoreus*, *rorans*, at non supparia *ludificus*, *littoreus*, *rorificus*, quæ noster in medium tulit :

III, 208 : *Ludificum* ductura diem...
III, 256 : Proxima *littoreis* delambit tecta procellis.....
VI, 854 : Et jam *rorificas* noctis nudaverat umbras,
Sed nondum detersa, dies... [1]

Derivat de verbo « distare » *distitium* :

V, 230 : Ut sibi *distitiis* acies vicina propinquis
Et campo propiore stetit...

de verbo « despicere » *despector*, quasi contemptor :

VI, 952 : Sic Circes *despector* obit... (Ulysses) ;

de adjectivo « calvus » verbum *decalvare* :

I, 404 : Hunc latices *decalvavere* profusi ;

de verbis infimæ latinitatis « titulare, tenebrare » habet *detitulare*, *extenebrare* :

[1] J. : *Myrtiger*, loco usitati « myrteus », III, 212 :
Prodit in abruptum prætentis insula saxis
Myrtigeræ sacrata deæ....

I, 300 Quæ murmura rerum
Occulta *extenebrat* (de Fama, occulta sub lucem protrahente).

II, 348. Propriæ nam venditor artis
Detitulat titulos quos ingerit....

de noto et vulgari « fœderare » *defœderare,* id est dissociare :

II, 436 : Amplexum in lacrimas solvit, *defœderat* urbes.
(Venus).

Habet usitatus sermo composita « discalceatus, excalceatus »; noster, *degladiata,* ceu exarmata :

VI, 649 : *Degladiata* ruit... (Penthesilea ;

audacius de « posse » traxit contraria notione *deposse :*

I, 280 : In Phrygios, dicamne? viros, humanaque bella
Depotuisse pudet... (Intell : me, Herculem).

Ait Virgilius (*Æn.*, 7) de Amata regina :

Femineæ ardentem curæque iræque coquebant ;

Persius (*Sat.* I) :

Si forte aliquid *decoctius* audis,

id est *aliqua maturitate consilii excogitatum;*

notum est insuper vim negandi per præfixum « in » compositis addi; sic « imperitus, indefessus, imperterritus ». Audacter inde noster fingit « indecoctus » id est « acerbus, crudus, immodicus » :

III, 131. Dum præclarum aliquid dolor *indecoctus* anhelat.

In usu sunt voces « pompa », « populus », « reserare », « præludere », at non *pomposus, populosus, prœreserare, prœludia,* quibus parum legitime noster utitur :

II, 487. Quumque per ambages nugis *pomposa* venustis
Phyllidas, Hypsipylas[1] et prœlia nostra retractet...
(Intell. *tragœdias a me Venere concitatas.*)

II, 1. Jam floret Priamus *populoso* pignore felix...

IV, 69. *Prœreserat* tonsura genas, in summa recurrens
Tempora...

III, 244. Leno oculus garrit taciti *prœludia* voti...

Noster facete γαστριμαργίαν sic describit :

II, 79. lœto cuncti connubia plausu
Concelebrant, populoque suo certamina prima
Ventripotens ponit genius...

[1] Nota Persii hemistichium (S. I, 34).

Vivide dixit Virgilius : « pedibus timor addidit alas » ; non dubitabit noster uno verbo sensum absolvere :

V, 203. *Pennificat* formido gradus...

De participio « propulsus » nomen *propulsus* ex similitudine nominis « impulsus », « progressus », effinxit :

III, 176. Classis in altas
Propulsum poscebat aquas...

Fruuntur comparativo gradu nonnulla participia ; sic de « porrecto » ,porrectior, de « extenso », extensior ; et apud Horatium[1] :

Fabula neve minor neu sit *productior* actu ;

idem audet Iscanus in « progressus » :

III, 168. Hanc (classem) decor insignit, qualem *progressior* [usus,
Post longum lucratur opus...

falsam ἀναλογίαν sane secutus fœde βαρβαρίζει.

Alio loco, cupiens in majus extollere ducis

[1] Sic legitime noster, auctore SUETONIO (Tit. 3) : *projectior* alvus, IV, 139; nec non PERSIO (VI, 42) : Devius in spatium *seductius*... II, 212; at minus bene cum Tertulliano (*Adv. Marc.*, I, 6) : licet in senium *dejectior* ætas, VI, 690.

fortitudinem, cui, prostratis hostium validissimis, nonnisi infimorum multitudo mactanda restat, ἐμφατικῶς dicet :

VI, 348. Ultricem cogit *plebescere* dextram.

Quædam ejusdem generis perquam ingeniose excogitata ; sic, quum volet ostendere veritatem, pollentem olim vigentemque, nunc autem neglectam ac situ obductam, poetice hercule ! magis quam latine exhibebit :

I, 7. Veri sacra fides, longum *silvescis* in ævum ;

ut prisci « obherbescere », « puellascere », « dishiascere », « uvescere », « aurescere » dixerunt etc...[1] Mirum est enim quam multa veteris latinitatis nunc quasi suppressa et suffocata, usque ad annos medii ævi perduraverint, et tunc ad lucem iterum retracta sint.

---

§ 3. Recensui ego fere omnia quæ contra puras dicendi formas deliquit Iscanus ; nunc decet elocutionem ipsam excutere, quo melius

[1] V. I, 7, exempla a Dresem. prolata (Ed. 1702).

videamus quam multa improprie dixerit, dum exquisitos et novos sensus arcesseret, quam multa affectate, dum res prodigialiter ornare cuperet, quam multa obscure, dum brevitatem sectaretur, aut tumide, dum elegantiam quæreret, quanta denique inæqualitate nunc in nubes abierit, nunc in humiles tabernas migraverit. Nec dispicio quomodo satis claram istorum intelligentiam, nisi proferendis exemplis, efficiam.

Ira æstuat Pelias adesse tantis periculis sospitem Jasonem; at temperat animo suo, et vultu sereno juvenem excipit :

I, 237. Has tamen, has *cordis rugas* [1], hæc prœlia mentis
Frontis oliva domat, facies que dolosa *sophistam*
Mendicat vultum, et blandos *peregrinat in* usus...

intellige : *repostos alta mente,* ut ait Virgilius , *dolores* , *simulata vultus serenitate nititur comprimere*, *et os ipsum cogit blandissima verba longius arcessere.*

Mirum quantum abutatur noster præposi-

[1] Hac voce noster admodum delectatur, III, 34 :
Priamoque sereni
Clarescunt vultus ; *rugas* rarescere sentit,
Infelix animi morbus, dolor...
id est : *sensim dolor*, *quem Priamus ex raptu Hesionæ concepit*, *minuitur.*

tione « *in* » cum accusativo varie structa, sic :

> II, 107. Ille canoros
> Conciliat *in* plectra modos, his exit *in* aures,

(de symphoniaco qui fidibus voci consociatis canere incipit); de Merione, obeso corpore, et violentiam animi toto vultus habitu indicante :

> IV, 151. Teretes *cumulatur in* artus
> Carnea massa tumens, animique ebullit Erinnys
> *In* caput, *in* corpus reliquum...

de Podalirio, statura præstante, nec sine aliqua obesitate :

> IV, 144. *Arduus in* fastum, pingues *demensus in* artus ;

contra de modica Briseidis statura :

> *In* medium *librata* statum...

gerit eadem summo vertice crines æque separatos, ejusque supercilia, fere juncta, venuste supra oculos flectuntur, et acuunt oculorum aciem :

> IV, 159. Nodatur *in* æquos
> *Planities crinita* sinus, umbræque minoris
> Delicias oculus junctos *suspendit in* arcus.

Difficile profecto sit et barbarius et obscurius loqui. Justum est addere ea ex famosis istis *Imaginibus* sumi, e quibus appareat nostrum se non ut voluerit sed ut potuerit extricasse.

Subjiciam hæc de fortuna, mortalium credulitati illudente, et eos in amentiam proturbante :

> IV, 240. . Male credula fallit
> Pectora ut *in fatuum* declinent pronius *usum* ;

de clamore militum se invicem exhortantium :

> IV, 288. clamorque minax *despumat in* ausus.

Vides quantum deflecti necesse fuerit istud « despumare », ut de propria notione « spumas agendi » ad illam « erumpendi » significationem detorqueretur [1]. Imo nota μετωνυμίαν, quasi dicat : *minaci conclamatione fiduciam suam viri mutuo refovent.*

Verba duplici modo pervertit noster, aut translationibus abutendo, aut repugnantia vi copulando ; neque solus, hercule ! accusandus ; manifestum quippe est ejus æquales pompa ista et venditatione stili plus justo delectatos

[1] V. Dresem. ad vers. laud.

fuisse, et omnes eodem modo inanem putidæ orationis tumorem pro munditiis accepisse :

VI, 290. Vos quibus uberius lacrimas injuria *nectit*,

Troilus ait, quasi dicat « elicit » ;

IV, 59. Helenum *demulcet* Apollo,

id est *Heleno favet.*

Vix toleratur in Polyxenæ imagine :

IV, 93. *Pede fulta brevi* procera venustas
Poplitis ;

at qui non respuatur Cassandra

IV, 88. *Fulta genu* tereti...?

Licuit dicere de Paride :

III. 277. *Armatum* maturat iter...

at qui de Agamemnone :

IV, 101. Regem *species armata* profatur,

id est : *martius oris habitus regem profert?*

Quomodo intelligas,

VI, 19. Qualiter Hyblæi *mellita* pericula reges
Si signis iniere datis, labente tyranno
Alterutro, *viduos* dant agmina stridula *questus*...

id est : ubi, *exorto inter apes certamine, orbatur rege alterutro acies?*

Affectat noster rara et inaudita; sic de Junone :

II, 317. Reginæ multum meminit, *vultumque* superbum
Vocibus ingessit...

id est : *fastum orationis vultus arrogantia confirmat ;* de Hesione, præ luctu dapes appositas vix delibante :

II, 154. Segnique morantes
Crescentesque cibos *gustu* jejuna *fatigat* ;

de blæso Hectore :

IV, 52. *Furatur* vox blæsa sonos...

aut de alio (Pyrrho) :

Ib. 141. lingua blæsos *frustratur* hiatus (vox) ;

de navibus ventos meliores exspectantibus :

IV, 314. Majora petit *suspiria* classis.

Alias, pro trito et vulgari « conscendit navem » :

I, 334. *Puppibus emigrat* primus, Telamone secundo,
Larissæ pollentis honos (Peleus)...

pro « lacrimas obortas » :

I, 473. Vultu lacrymas castigat *adultas* (Priamus)...

— Trojæ ruinæ post priorem obsidionem Priami regis manu resarciuntur :

I, 477. *Medicati vulnera* muri
Respirant meliore manu...

— Testatur inde a cunabulis Hercules qui sit futurus :

II, 116. *Redolent* cunabula prima
Vix ortæ virtutis opus.

— In certamine dearum Minerva :

II, 244. Non, si laudor *censore caduco*,
Indignor...

id est : *non indignor, etsi mihi laudes malignas Paris arbiter impertitur.*

— De æreo infantis Teuthrantis simulacro :

IV, 462. Prima ducis facies *nascenti* vagit *in ære*...

de eodem ibidem seniore efficto :

IV, 478. Pars ultima (anaglyptorum) *canos*
Colligit....

— Edicuntur defuncti superiore anno Hectoris parentalia :

VI, 76. *Cinis annuus, umbra laborans*
Solantes epulas...... *reposcit.*

— Iscano quædam peculiariter vocabula placent et frequentius sub acumen stili subeunt, interdum abusivo sensu donata ; sic *pugil*, cum notione insolita « martii, bellicosi, pugnæ idonei » :

V, 32. *Pugiles* pars plurima (militum) vultus
Exsertat...

VI, 688. Hectore major (Troïlus)
Si cedat puer et *pugiles* vir surgat in annos...

quod idem Statius (*Theb.* IV) :

Nec desunt animi, veniat modo fortior ætas.

Verbi *obliquare*, translative accepti, depravatur apud nostrum significatio. Recte Ovidius

Obliquantem oculos contra radiosque diemque,

id est : *in obliquum flectentem ;* et noster legitime de Hectore et Achille se invicem intuentibus :

V, 219. Alternoque truces *obliquant* lumine vultus ;

et audacius item, sed apte tamen, de ipso poemate :

> VI. 964. Quum tibi mordaces *obliquent* læva cachinnos
> Murmura...

id est : *cachinnis te furtive lædant invidiosi homines*; at vix latine :

> IV, 137. livore superbo
> *Obliquat* socios Pyrrhus...

Inter causas quæ vocabula sine damnis per sæcula transire non sinant, præsertim quum a solo procul patrio in terram minus felicem sint translata, notanda est ea quod usu ipso quasi attrita multum de vi nativa deperdant. Multæ jam sunt vocibus iisdem significationes a poetis ætatis posterioris tributæ, quas Virgilius ignorat. Magis itaque ac magis in dies affectatius fit dicendi genus, et ipsi vel imprudenter scriptores de recta via deerrant. Nonne jam queritur Tacitus quod non dicant quidam orationem « declamari », sed « cantari saltarique » (*Dial. orat.*, XVI)? Quid mirum, si tinnientis istius stili lasciviam sectati sint medii ævi homines, calamistros pro munditiis accipientes, et optimum reputantes quidquid maxime ab usu cottidiano abhorreret? Nec spere-

mus nostrum vitii expertem fuisse apud æquales vulgatissimi. At exempla proferamus.

Simplicius dictum « captato fruitur amore » (Paris) sic vertitur :

III, 228. Captatum que brevi *lucratur* amorem.

Quod vero verbum de lingua usurpari solet « garrire », quanto melius si de oculo dicatur ?

III, 244. Leno oculus *garrit* taciti præludia voti.

Pro vulgato « popularis aura » vulgi *tempestas* (IV, 29), pro « incendit » *fulminat* :

IV, 32. Ductu quemque suo (vir) discretis *fulminat* ausis,

pro « tela imbre madentia » :

IV, 295. Imbribus haustis
Ebria tela....

Reptat « præcipitem agit » ; adhibebitur :

IV, 148. Impia *præcipitem* natura Meriona *mergit* ;

hic, cursu levis, fertur

IV, 132. *Scythica torrentior aura ;*

illius, cujus « subpallidus est color :

IV, 153. gena *disputat hydris.*

« Quærere » demissius ; subjicietur *Venari :*

IV, 360. Naides hostem,
Non ausæ vidisse, timent, tutasque sub undas
Venantur lacrimas...

« Vi aperire viam » fit *extorquere* :

V, 159. Et qua acies instat densissima, durum
Extorquet violentus iter.

« Incendere » friget, at non *exurere :*

VI, 538. Postquam Helenen trepidas *exurens* nuntius aures
Percutit.....

« Versus in pallorem » fit : *in pallorem sepultus ;* non « tremunt » ora, sed *febricitant :*

VI, 81. Quumque aliis, *in pallorem candore sepulto,*
Febricitent vultus, sola ore Polyxena floret
Sospite.....

Mors non « occupat sensus » sed VI, 770

in sensum germinat; non erumpit in fletus Hecuba, sed (VI, 816):

> In voces *dissuta* breves, vix denique questus
> Continuos nectit...

Jam non mœnia urbis clausæ patefieri videntur, erumpente per reseratas portas agmine; noster, minus sordide (V, 132):

> Stipantur Phrygii; sævos *diffibulat* urbem
> *Murus* in egressus...

Inaudita prorsus ac memoratu digna apud nostrum significatio « tubæ » et « genæ ». *Tuba* pro « facundia » (I, 136):

> Excipit ancipites docti *tuba* Nestoris aures (Græcorum);

alias, pro « femineis ululatibus », (VI, 942):

> Femineas non passa *tubas*...

Frustra, credo, noster imploret [1] fidem Hieronymi B. Paulum « *tubam* Evangelii » nominantis, aut Tertulliani (*de Veland. Virgin.*, c. 13) scribentis « nihil *debuccinemus* earum quæ apud Deum mercedem merebuntur. » Vo-

[1] Vid. Dresem. ad vers. laud.

cem contra istam barbariem pro aris et focis tollentem linguam ipsam latinam audire mihi videor. Quid de « gena », nunc « vultum, » nunc « pulchritudinem, » nunc etiam nimis antique « palpebras » significante?

Ergo quis ausus
Pallada Gorgoneam bellatricemque Medusam
His confere *genis* ?

sic loquitur Juno (II, 250); at eadem (II, 337):

Si *gena*, si generis auctor, si denique mores
Quærendi....

tum, laudato supra loco (VI, 820) Hecuba :

Non arguo luctus ;
Defecere *genæ*, fletuque exhausta profundo
Lumina (mea) caligant.... [1]

An memorem aliqua ab eruditione Iscani profecta ornamenta, vix tamen honestiori stilo concedenda?

I, 537. modicumque laborat
In cumulum *Pygmæus* apex,

[1] Adde V, 369. Fluit huic in vultus pulchra *genarum*
Rapta dies.

id est : *modicum in clivum collis assurgit;*

III, 70. *Cumana* senectus (de Sibylla) ;
III, 325. *Midæ* fluvios (de auri metallis) ;
III, 19. fracti *Phœnicis* odores (de ture et cinnamo) ;
III, 170. vestitur herili
Prora *Tyro* puppisque *Tago,*

scil., *purpura et auro nitet decorata navis qua vehitur herus*; haud procul, Venus

VI, 87. tenellos
Spondæo stabilit animos pede,...

quasi commune aliquid esse queat inter spondæi gravitatem, ab Horatio indicatam, et vim imperiosam Veneris in animos juvenum præpollentis.

Modo sesquipedalia verba librantur :

III, 6. *coronato* luget spoliata *marito* [1]
Inachis, et raptos gemebunda reposcit alumnos ;

modo rustica omnia et inficeta :

III, 46. *Nidor* odorifero *solatur* sidera fumo ;

et appellatur Minerva

II, 253. populi terror, vulgi fuga, *bajula leti* ;

[1] Dresem. : *Inachis* est Io ; hic pro vacca posuit... *Coronatus maritus* est taurus, quia moris erat victimas coronare...

fit,

IV, 295. *Nimborum pincerna* Notus... ;

nihil quippe magis Iscanum deficit quam recti judicii æqualitas.

Vertit Iscano in consuetudinem nomina alia aliis ita apponere ut adjectivorum officio fungantur. Hoc fatendum in pura latinitate sæpius licitum esse, et tenue interdum esse tum nominum, tum adjectivorum discrimen. Legitimum itaque nostro fuit dicere,

VI, 758. *Populator*[1] oberrat
Ignis,

vel paulo audacius, de mulieribus, Helenam intuentibus

VI, 957. Flagrantque videre
Eversorem Asiæ *vultum*.

Sed imponendi audaciæ freni, nec vertenda in jus licentia. Sic noster contra fas justumque admisit :

III, 238. Sed *castigator* adultos
Comprimit excessus animi *pudor*...

[1] Sic Claud. *in Ruf.* I, 35 : Et luxus *populator* opum.

I, 99. Quippe, Deum *genitore metu,* mens cæca creavit
Ditem umbris, cœlo superos et numina ponto.

I, 238. *Sophistam*
Mendicat *vultum* (Peliæ facies).....

IV, 39. Pectoribus vivant, *scripto præcone*, tyranni.

IV, 100. *Vultu præcone* potestas
Enitet.... (Agamemnonis)...

VI, 157. Sustinet Æacides, et *defensore* laborat
Jam fessus *clypeo*....

Ib, 383. Cavat ardea *rostro*
Marmoreum *fossore* solum...

Ib., 406. Fraudesque in vota ministras
Ultor habet *gemitus*.... (de Hecuba ultionem Hectoris filii meditante).

Ib., 514. Insidensque sagittæ
Ductor in angustum *visus* coit...

Ib., 560. Et silices ballista vomens, testudo viatrix
Subdola, *fossoremque* aries suspensus in *ictum*...

— Gestiunt medii ævi poetæ similes similibus collidere syllabas, quale est Horatii jocantis :

equi est *auris* in *ore*.

Ejusmodi satis multa noster serio exhibet :

I, 72. Tethyos in gremium migrat prærepta Dianæ
Pinus, et e *ramis remos* habet...

I, 80. Auctor ratis *Argus,* et *Argo*
Navis erat....

VI, 167. It tuba præceptrix Phrygiis, it tibia Graiis,
Et *litis litui* testes...

Ib., 632. Arma *parant*, *parent* que alacres...

Ib., 959. *Infamem famæ* titulum lucrata pudendæ....
(de Helena).

Ib., 962. Vive, *liber*, *liber* que vige...
(ad librum).

II, 208. Ocius exciti, qui casse, vel *ore*, vel *aure*...
(de venatione).

Ib., 283, 288. Quid *hæres*,
Cœli *heres* ?...
Absque *pari parit* illa..., (Juno)
(sic Natura ad Jovem).

Ib. 296. Hac fronte, hoc *oris honore*
Venatrix hominum *vernet Venus*...

Ib., 248. Quem debet *famulatrix fama* favorem.

III, 108. *Audit* et *audet*
Dux falli... (de Priamo).

IV. 370. *Castra*, *casæ*, *sulci*, *silvæ* testantur Achillem.

VI, 529. Nox *ultima*, *et ima*
Poscit humus... (de Paride).

VI, 960. *Nox* fera, *nox* vere, *nox noxia*.... (de suprema Trojæ nocte).

Gratias hercule! Iscano agamus, quod non sæpius istis usus sit ornamentis! At necesse fuit me in hac parte immorari, quippe quum unius in vitiis liceat communia universi temporis vitia introspicere.

De elocutione Iscani satis; jam qualis in metris tractandis exstiterit perpendendum. Primum autem laus illi tribuenda, cujus in con-

sortium cum eo nemo aut fere nemo illorum temporum poeta veniat. Syllabas exacta trutina pensitat nec pro arbitrio mutat. Nescio an plus semel aut iterum noster quantitatem legitimam usquam perverterit[1]. In cæsuris solummodo licentius agit: solet enim producere ultimam seu verborum, seu nominum, seu adjectivorum syllabam, modo in eam cæsura cadat, parcius fecere antiqui[2], contra sæpissime noster:

III, 246. Conspexit, quid ag*at h*æret...

III, 155. Advena quondam
Regni, nunc reg*is h*eres....

III, 366. Fatis plena redit; clar*et in*terprete vultu
Extorti vindicta dei...

IV, 19. Migratque in prœlia quidquid
Prima dies, orb*is or*iens, cunabula Phœbi
Gentis alunt...

[1] Semel in « luscinia », cujus secundam noster producit, iterum in « geometer », quod pro usitato « geometres » (Cf. Juv. III, 76,

Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes)

ponit, pænultimam corripiendo : II, 126. Qui quondam geometer erat... Decet alia, a Weissenborn collecta, mendosis textibus imputari.

[2] Virgilianorum in hoc genere exemplorum copiam afferunt doctissimæ adnotationes a E. Benoist suæ ad usum scholarum Virgilii editioni præmissæ (p. 21, sq. q.).

V, 508. Obliquum pect*us et* respectantia terga...
V, 526. Otia tractur*us u*ltro mandasset... [1]

In alia vero artis metricæ præscriptione noster gravissime titubat. Quum enim prorsus vetetur ullam brevem syllabam litteris sc., st., sp., præponi quin statim longa fiat [2], noster tum in istis componendis frequentissimus est, tum priorem syllabarum quantitatem constantissime retinet; sic:

I, 290. Non fugiss*e s*ciant qui, quum potuere minari,
Et potuere pati...

Ib., 337. Quo principe glori*a s*pirat
Myrmidonum...

Ib., 353. Nereides visa arm*a st*upent horrentque tumultum.

II, 147. Noctivagas ululass*e st*riges, bubone sinistro
Fata premi...

Ib., 377. Juvisset numero saltem propiorqu*e st*etisset
Pro sceptris armata suis...

[1] Adde : IV, 66. vern*a*t *a*cie ; Ib. 79. Incend*i*t H*e*cubam : Ib. 145. vest*i*t *h*umeros ; Ib. 220. Exspect*a*t *a*ntri ; Ib. 276. Mun*i*t *e*ques armis ; V, 28. hær*e*t h*a*nimis ; Ib. 53. firm*a*t *a*nimos ; Ib. 407. Illustr*a*t *in*signibus ; VI, 63. Calig*a*t *a*cies ; Ib. 87. stabil*i*t *a*nimos ; Ib. 190. super*a*t *u*troque ; Ib. 223. ardeb*a*t *u*t teli ; Ib. 250. alias disc*i*t *i*ras ; Ib. 262. per*i*t *in* sanguine ; Ib. 385. Psittacus inscrib*i*t *a*pices ; Ib. 410. In facin*u*s *a*udax ; Ib. 490. lax*a*t *a*rcus ; Ib. 511. vidu*a*t *a*rcu ; Ib. 746. Ipse urbem civ*i*s *a*perit ; Ib. 787. Amplex*u*s *a*ras ; Ib. 796.

dix*i*t, *i*ndignatusque jacentis
Cæde frui.

[2] Unus inter probatos ex hac lege derogavit aliquid Horatius. Notum illud : Sæpe stilum vertas..., (*Sat.* I, 10, 72). Ægre exemplum alterum proferas.

Ceterum in arte metrica nostri diligentiam laudare non dubitem, nulla in parte felicius, ut opinor, Statium secuti; apte enim membris divisæ sententiæ; versus autem, sive opportune continuati, seu justis intervallis distincti, aurem indicant hominis numeros modosque percallentis et callidissime variantis.

Quæ omnia, etsi per se magna sunt, pluris etiam æstimanda videbuntur, instituta brevi inter Iscanum et quosdam ejusdem temporis poetas comparatione.

[1] Adde : III, 10. Panchaia spirat; Ib. 163. suspecta strues ; Ib. 197. interprete spondet ; Ib. 342. angere sperat ;

IV, 105. fulta statu ; Ib. 156. In modicum librata statum ; Ib. 173. cunabula stirpis ; Ib. 216. nocuit mora ; sponte ; Ib. 318. Ire stupet ; Ib. 381. res plena stupore ; Ib. 446. Funus herile struit ; Ib. 454. radioque stilus ; Ib. 490. Hoc singula scripto ; V, 170. brachia spargit ; Ib. 226. ope spreta ; Ib. 231. campo propiore stetit ; Ib. 264. juga spectans ; Ib. 284. lucem que stupentibus ; Ib. 449. lamenta stupentem ; Ib. 491. Ipsaque sponte hærent ; VI, 21. agmina stridula ; Ib. 145. leviora stupentes ; Ib. 342. perfossa stilo ; Ib. 354. talia spectet ; Ib. 486. modulanda stilo ; Ib. 501. ferrea scuta ; Ib. 604. frendensque stupebat ; Ib. 695. fœdera ; Sparten ; Ib. 794. numina sponte.

CAPUT VI

COMPARANTUR CUM ISCANO QUIDAM EJUSDEM TEMPORIS LATINORUM POEMATUM SCRIPTORES.

§ I. *Galterus de Castellione.*

Poetarum Iscano fere æqualium prior ordine temporum Galterus de Castellione, sive de Insulis; cujus *Alexandreis*[1], haud multo post annum 1170, ut certis indiciis patet, composita, Iscanum sane non latuit. Notum est enim quanta fama vixdum in lucem editum viguerit Galteri poema, sive præfulgenti illo Alexandri nomine, seu suis ipsum laudibus apud scholasticos commendatum : haud indignum profecto in quod etiam nunc studiosorum oculi per transennam cadant, non ita omnibus tamen ejusdem generis et præcipue nostri

[1] V. Galteri *Alexandreis*, Ingolstadt, 1541, in-12.

Iscani versibus antecellens ut Virgilii gloriam compensare, imo obscurare meruerit.

Nolim ego Severius cum Galtero agere, quod plane veridicæ historiæ sensu careat : qui, quum Q. Curtium pedetentim sequi parum habeat, rebus jam ficticiis ab auctore latino traditis fabulas ingenio temporis sui consentaneas liberius adstruit. Crimini enim Galtero vertat quod pseudo-Callisthenis commenta sit amplexus, si quis et suum Iscano Daretem exprobret. Age vero, quantum ipse per se a sincero dicendi genere abhorreat, vel hoc exordio manifestum fiat :

Gesta ducis Macetum totum digesta per orbem,
Quam large dispersit opes, quo milite Porum
Vicerit et Darium, quo principe Græcia victrix
Risit, et a Persis rediere tributa Corinthum,
Musa, refer ; qui, si senio non fractus inermi,
Pollice fatorum nostros vixisset in annos,
Cæsareos nunquam loqueretur fama triumphos,
Totaque Romuleæ squaleret gloria gentis :
Præradiaret enim meriti fulgore caminus
Igniculos, solisque sui palleret in ortu
Lucifer, et tardi languerent plaustra Bootæ.

Audis hujusce obstrepentem auribus litui clangorem. Jam videas quo oris hiatu patroni laudes Guillelmi incipiat :

At tu, cui Major genuisse Britannia reges
Gaudet avos, Senonum quo præsule non minor urbi
Crevit honos quam quum Romam Senonensibus armis

Fregit, adepturus Tarpeiam Brennius arcem,
Si non exciret vigiles argenteus anser... etc... [1]

Quid de rebus ab Alexandro gestis, quum tantopere de episcopo aliquo provinciali ampulletur? quantum scientiam suam venditabit! quam omnia exaggerabit!

At futurus ille terror Asiæ, jam sexdecim annos natus, nondum ausus est præceptoris ferulæ subducere manum; ille in Herculis cunabulis prope genitus, leoni tigridique similis, submisso corpore exspectat donec tutori libeat pupillum erigere, et mixtis monitionibus et hortamentis, habenas ejus audaciæ permittere:

Ille sui reverens faciem monitoris, ocellos
Supplex dejecit vultu, pronusque sedentis
Affusus genibus...
...ita dicentem vigili bibit aure magistrum.

Aristoteles autem is, reverendus post Philippi mortem fatorum Macedoniæ arbiter, et regni, instar Sugeri alicujus abbatis, procurator, ridendo prorsus habitu prodit; nescio quem vi-

[1] Unum aut alterum istorum videtur Iscanus recordatus esse: V. in fragm. ANTIOCH. supra laud:
... Senonum ductor, captiva Brennus in urbe...
Pagina Cæsareos loquitur Romana triumphos...

dere credideris magicæ artis et occultarum scientiarum operarium ex antro philosophiæ exeuntem :

Forte macer, pallens, incompto crine magister
Exierat thalamis, ubi nuper, corpore toto
Perfecto Logices, pugiles armarat elenchos...
Livida nocturnam sapiebant ora lucernam,
Seque maritabat tenui discrimine pellis
Ossibus in vultu, partesque effusa per omnes,
Articulos manuum macies jejuna premebat :
Nulla repellebat a pelle *parenthesis* ossa...

Stilum hic Galteri perpende, in personis producendis mediocrem, in fingendis orationibus nimium, putida dicendi affectatione vix tolerabilem [1].

In descriptionibus etiam aliquanto plus ornamentis utitur quam veritas historiæ patiatur, sive in monumento defunctæ Darii conjugi, Alexandri jussu, exstructo, pictas tabulas excogitet, præcipua rerum momenta evolventes ab ipsa primi hominis origine usque ad instauratas Esdræ pontificis ductu Judæorum aras; seu (mirus nempe architectus Galterus) Pyramidem defuncto ipsi Dario victor Alexander ædificet quatuor columnis subnixam, omni metallorum varietate decoratam : quam sub oculis Iscanum habuisse libens crediderim, quum se-

[1] Cf. L. Bellanger, de Gualthero ab Insulis, dicto de Castellione. Andecavis, 1877.

pulcrum ipse Teuthrantis sui exegerit. Namque hæc Galteri :

Quatuor ex æquo distantibus arte columnis
Sustentatur onus, quarum basis ærea fulget,
Argento stilus (scapus) erigitur, capitella recocto
Imperitant auro....

facile ad illa Iscani referantur, libere quidem imitantis :

Regia conspicuis moles inscripta figuris,
Exceptura ducem, senis effulta columnis,
Tollitur ; electro vernat basis, arduus auro
Ardet apex, radioque stilus candescit eburno.
B. Tr. IV, 451.

Nusquam vero Galterus felicius excurrit quam ubi ad res sui temporis digreditur. Initio enim libri septimi locus est quo nos poeta, ingenti vi concitatus, relictis parumper Darii casibus, in duodecimum sæculum transfert, et vehementissime societatis Christianæ vitia increpat, et pontificum ambitus, et sacerdotii corruptelas, et episcoporum cædes miseratur :

Felices animæ, dum vitalis calor artus
Erigit infusos, si prægustare daretur
Quæ maneant manes, decurso tempore, justos
Præmia, quæ requies, et quam contraria justis
Impius exspectet ! Non, non funestus habendi
Irretiret amor, non carnis amica libido
Viscera torreret....

et cetera, quibus procul a Persarum regis fuga et Bessi perfidia avertimur.

Forsan in legendo Galtero Iscanus aliquam consuetudinem cepit exclamandi et tragœdias hoc genus agendi :

Proh gloria fallax
Imperii !...Cyrum, terræ pelagique potentem,
Delicias orbis, quem summo culmine rerum
Extulerat virtus et fama locarat in astris,
Qui victor composque sui, qui totus et unus
Malleus orbis erat, imbellis femina fregit!
Parcite, mortales etc... (L. II).

Videtur autem minus quam Iscanus antiquitatis jugo adstrictus Galterus ; quippe qui latius in inventiones poeticas exspatiatus, non dubitaverit in enarrando Alexandri obitu cœlum et terras miscere, et, abominandas ingressus sedes, horribilem infernorum numinum consessum reserare. Ostenduntur variæ portentorum species sive a Virgilio seu a Claudiano[1] traditæ, quibus recentioris notæ portenta adjunguntur (L. VIII) :

Ante fores Erebi, Stygiæ sub mœnibus urbis,
Liventes habitant, terrarum monstra, sorores,

[1] Cf. Claud. *In Ruf.* I, 26. sq.q.

Avaritia, Superbia, Libido, Ebrietas, Gula,

> Proditioque Doli comes, et Detractio macri
> Filia Livoris....
> Has colit Hypocrisis marcenti livida vultu
> Sedes, tum summus hodie processus in aula,
> Pestis Adulandi, bibulis studiosa potentum
> Auribus instillans animæ letale venenum.

Præsidet rebellium olim Angelorum princeps

> Leviathan, medii stans in fervore barathri...

contumaci adversus humanum genus odio percitus. Veniet aliquando dies quo frendens gemensque iste ineluctabilis adversarii vim superiorem subibit :

> Est tamen in fatis, quod abominor, adfore tempus
> Quo novus in terris....
> Nescio quis nascetur homo, qui carceris hujus
> Ferrea subversis confringet claustra columnis,
> Vasaque diripiens et fortia fortior arma,
> Nostra triumphali populabitur atria ligno...

Christus itaque in inferos prævalebit. At compescenda istius adolescentis insolentia qui, torrentis instar, orbe terrarum correpto, jam antiquos Paradisi fines parat invadere. Quæ tamen vis in eum adhibebitur? Consurgit « blando subdola vultu » Proditio, et per insidias rem tractandam monet :

> Est mihi mortiferum super omnia toxica virus,

Quod nec testa capit, nec vas aliud, nisi solum
Ungula cornipedis [1]; dabitur liquoi iste, falerno
Mixtus, Alexandro...

Erit igitur doli machinator et proditionis minister Antipater: sic Galtero placuit de Alexandri exitio interpretationem eligere non tam historicæ veritati idoneam quam poetico spiritui accommodatam. Fatendum est hac in parte carminis elucere satis vim istam imaginandi qua Galterus apud scholasticos eminuisse reputatus sit; nec sane illi omnino recusandam laudem inventionis qui atrocem eam Sathanici vultus effigiem quasi in litteras introduxerit in tantæ postea fortunæ reservatam. Nihil simile Iscanus noster nec ausus, nec voluit.

Exstiterunt in Gallia sub fine XII[i] aut priore XIII[i] sæculi parte litterati viri, qui non satis habuerunt aliquid de tempore præsenti translatum in alienam materiam raptim injicere, sed temporis ipsius præsentis ad vivum expressam effigiem in carmina inferre studuerunt.

[1] Placuit ista de interitu Alexandri fabula medii ævi hominibus, prodigiosa omnia sectantibus.

Hoc varia fortuna conati sunt annis circiter 1198 Ægidius Parisiensis, 1220 Guillelmus Brito, 1226 Nicolaus de Braia; quibus adjiciendus, circa annum 1186, apud Germanos Guntherus. De singulorum operibus breviter disserere operæ pretium videtur. Aliquam et Alberti Stadensis, cujus poema, anno ferme 1249 assignatum, nos iterum ad Trojanas fabulas referet, suo loco mentionem faciam.

§ II. *Ægidius Parisiensis.*

Dabimus nos Ægidio solam qua videatur tangi posse ejus animus laudem, severum nempe illum esse morum et præceptorem et judicem. Ejus *Carolinus* [1], instituendo Ludovico, filio regis Philippi Augusti admodum puero, destinatus, gravitatem probissimi optimique censoris præ se gerit. Nemo adulatoriis vocibus magis abhorret; nec modo res a Philippo Augusto gestas æqua lance examinat, sed eum, egregia quamvis indole principem, multo infra omnes Caroli Magni virtutes recidere judicat. At nego quidquam inter illum regii officii monitorem, Christianum vere Catonem,

[1] V. Duchesne, *Hist. Franc.*, t. XVII, p. 288 sq. q.

et latinas Musas commune exsistere. Adeo omni diligentia stilus destitutus est! adeo ab omni elegantiæ cultu refugit! adeo cunctis barbariæ sordibus inquinatus est! Audiamus eum suam Galliæ felicitatem gratulantem, quod Philippo pareat, non ab omni quidem parte absoluto principi, nec qui summa regnum modestia tractet, sed qui tamen populares suos ab avidis procerum manibus defendat adversusque reges externos tueatur :

Forsitan, *excussu* consuetæ pacis *in* acres,
Francia, *procinctus*, mœsta et turbata fuisti ;
Forsitan et crebro fisci exactore juvandi,
Difficiles leges et tempora dura tulisti.
Si tamen attendas alios, ubicumque locorum
Imperitant *in* more suo, pejoris haberi
Conditionis eos, *emunctores*que pusillæ
Plebis et Ecclesiæ graviores esse tyrannos :
Jam tu *in respectu* regeris sub principe miti,
Nec debes de jure queri, cui contigit isto,
Tellus, rege regi, quod non es passa Ricardi
Triste jugum, nec Teutonico es corrosa tyranno....

Vides scriptoris indolem, verba ante se agentis et impellentis, vim in sermonem latinum adhibentis, et, ubi latine loqui parum expediat, barbare loquentis.

Regium puerum idem admonet quo pacto officii ipse sui crediderit, in libro historiæ addicto et veritati, ornamenta poetica præci-

dere, neque ullo quæsito extrinsecus fuco, sinceros rerum colores adulterare ;

> nec enim quæ mythica pandunt
> Commenta, aut meminit communis opinio vulgi,
> Historiæ tradit brevior per singula textus.
> At tu quid sentis ? vel quos, puer inclite, censes
> Me potius debere sequi, nugasne vagantes,
> Aut apices fixos ? quod si plus scripta favoras,
> Quidni his conformer, ubi nulla expressio rerum
> Ponitur, et tantum gestorum summa refertur ? etc...

Igitur valedicamus illi se in moralibus suis paulo plus æquo jactanti, et ad Guillelmi Britonis *Philippida* prævertamur.

---

§ III. *Guillelmus Brito* [1].

Is non multo magis linguam reveretur quam amicus et familiaris Ægidius; verba enim intemperanter novat jam inde ab exordio, quo, auctoritate in primis Galteri nixus, tubam heroicam hunc in modum inflat :

> Gesta ducis Macetum celebri describere versu
> Si licuit, Galtere, tibi, quæ sola *relatu*
> *Multivago* docuit te *vociferatio* famæ ;
> Si sua gentili mendacia cuique poetæ
> *Grandisonante* fuit licitum *pompare boatu*...
> Cur ego quæ novi, proprio quæ lumine vidi,
> Non ausim magni *magnalia* scribere regis,
> Qui nec Alexandro minor est virtute, nec illo
> Urbi Romuleæ totum qui subdidit orbem ?...

[1] V. Duchesne, *Hist. Franc.*, t. V, p. 93, sq. q.

Habemus ingenuam hanc in sententia promenda asperitatem quæ non displiceat; nec figuras ex longo Guillelmus arcessit; quæ se offerunt rapit, modo vim habeant. Sic laudes Ph. Augusti puteo assimilantur unde ad aquam hauriendam nec restis satis longa, nec vasa capacia suppetant:

> Non est qui puteum tam latum tamque profundum
> Exhaurire queat, nedum qui non habet in quo
> Hauriat, aut restem, aut vasa capacia tanti
> Ponderis.....

Leges artis metricæ aut ignorat ille aut prorsus negligit; nec syllabas pendere, nec vim aut proprietatem verborum explorare vacat. Spiritu concitatiore ruit, ut qui nusquam liberius agat quam quum prœlia tractet et mediis bellorum procellis jactetur. Tum exsurgit figuris, tum grandiloquentia videtur rerum sublimitatem adæquare [1]; neque enim copia ingenii, neque facultate dicendi caret, dignus videlicet qui meliore orationis genere boni honestique civis sententias vestierit. Contra lutulentus plerumque fluit, quumque litterati hujusce ætatis viri duplici forma loquendi utantur, una in

[1] Quis tamen agnoscat trucem medii ævi sævitiam in ore procerum qui tanta vi exemplorum ex antiquitate sumptorum populares suos apud Britonem concionantur ?
Cf. Gidel, *de G. Britonis Philipp.*, p. 91.

operibus accurate elaboratis aut ad aures delicatiores destinatis, altera vero horrida et opica, in disputationibus aut familiaribus ad populum concionibus usitata [1], sæpius rudem et incultum sermonem quam tersum ac politum Guillelmus adhibet. Sic de Francione, inclito illo Pharamundi proavo :

Quærere *disposuit* patriam sibi commodiorem,
Et sibi supposuit regnum *totaliter* illud....

interitumque ejusdem sic enuntiabit :

Ut se *vitali viduavit* Francio *flatu*.

Dicet de Francorum gente Alanos ad internecionem trucidantium :

Sic debacchantur in illos
Ex toto numero *quod* nemo *remansit* eorum,
Qui non a Franco sit milite *decapitatus*...

cetera de genere hoc : sollemnem regis, sceptro potientis, unctionem sic describet :

Jamque dies aderat, cunctis optata, novembris
Quæ caput est mensis, quæ cunctis sanctificata
Jamdudum sanctis, nunc longe sanctior exstat,
In qua sceptrifero fulsit redimitus honore
Magnanimus sacro rex delibutus olivo,

[1] Cf. Ellies Dupin, *Gersoniana* (Gerson. *Op.* 1706), t. I, p. LVIII.

Quo Deus, angelicis *manibus*, *virtute* parato
Divina, nostris concessit regibus uti,
Ut sacrentur eo soli specialiter illi
Qui *successive* Francorum sceptra capessunt..

Numquid mirum, si nobis, tale carmen evolventibus, in mentem recurrat sententia a Bolæo nostro pronuntiata : deficiente lingua, poetam, vel diviniore spiritu sublevatum, inter pessimos recumbere?

---

§ IV. *Nicolaus de Braia*[1].

Poetica item palæstra submovebimus Nicolaum de Braia, licet ille non modo non mythicis, instar Ægidii, renuntiaverit, sed etiam operi suo commenta sedulo adstruxerit. Unius quippe oppidi, Avenionis scilicet, obsidionem et præmaturan Ludovici VIII[i] mortem enarrando noningentorum fere versuum curriculum explevit. At in hoc angustum unius biennii spatium convenisse et ex industria confluxisse videntur omnes ethnicorum fabulæ. Quasi vero istæ poetæ ambitioni parum sufficiant, geminantur antiqui Erebi pestes Christianæ gehennæ portentis. Congregatæ in unum coeunt Ixionis, Sisyphi, Tantali, ceterorumque « exsangues animæ »,

[1] V. D. Brial, *Hist. de Fr.*, t. XVII, p. 311, sq. q.

quarum deforme vocavit
Concilium Sathanas....

tum prodeunt figuratæ jam a Galtero sceleratæ mentis morbi ac vitia, Superbia scilicet ejus que comes Ebrietas, Ira Furorque, Ambitio, Detractio, Proditio; inter quas

sedet Hypocrisis, simplex et marcida vultu;

stipantur circum Timor, Luctus, Desperatio, Dolor, Senectus, sexcentæ que aliæ larvæ; nec omissæ Furiæ, ut apud Virgilium Acheronte patre, Nocte autem matre genitæ.

Incipit alloqui « tenebrosam cohortem » Sathanas; arma capiantur imperat adversus juvenem illum Gallorum regem Ludovicum,

cui ni fatales fila sorores
Tam cito rupissent vitæ, florente juventa,
Magnus Alexander...
....brevis ac humilis succumberet illi,
Respectuque *sui*, Romanæ gloria gentis,
Laudibus et meritis contemptus Julius esset.

Procedit in medium Proditio, seque machinaturam extemplo Rupellensium rebellionem pollicetur. At quid valent jam Rupellæ, mox Avenionis perjuria in invictum principis robur? Tum ruit Livor, Sathananque obtestatur ut

regis fortitudinem dolo percellat. Crucem illi contra Albigensium furores tollenti venenum infundetur, Tisiphonæ manibus et infernarum sororum incantamentis mixtum. Adest ipsa Proditio mixturæ, horrendumque poculum accipit :

> Stantibus (sororibus) ante fores tenebrosi carceris, ore
> Oscula dispensans infido fellea, causas
> Explicat (Proditio) adventus breviter : tunc arripit ipsa
> Oris Cerberei spumas et virus Echidnæ,
> Omnia mixta simul, superasque refertur ad auras.

Adeo placuerat ingeniis excogitata a Galtero interimendi Alexandri ratio !

Nec ornamenti tantum loco ponuntur in poemate Nicolai fabulæ: ingeruntur enim in descriptiones, redundant in conciones ; ita ubique veris ficta implicantur ut nullo modo liceat illa dividere. Die sacrosanctæ unctionis sollemni, Regi

> Offertur crater quem (si sit credere dignum),
> *Perditus* ingenio fabricavit *Mulciber* auro...

In margine cælavit artifex orbis terrarum effigiem, et torquentem fulmina Jovem, et Niobæ miserias, fratrumque inimicorum internecionem, at quæ non ibi efficta?

> Martis adulterium resupino margine pinxit
> Mulciber, et Venerem laqueis cum Marte ligavit ;

Pluraque cælasset sub margine ; sed pudor illi
Obstat, et ingentis renovatur causa doloris.

Ab uno cetera discere queas : comes Armoricorum Petrus regem adiens sic orditur :

Te duce, non vomitus dubitamus adire Charybdis ;
Nec tua, Scylla rapax, renuemus monstra videre,
Infernos que lacus, et Cerberon illaqueatum
In rigidis vinclis...

Nonne hic Horatii versus recordamur :

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum ?

Toto cœlo itaque abhorret a veritate Nicolaus, nisi forte ubi se ad spectacula popularia vertit, et heroici carminis dignitati ausus renuntiare parumper, nos ad compita et trivia deducit, et inter plebeculæ clamores, et strepitus, et choreas circumagit ; qualis est Remensis civitatis adspectus, dum regii comitatus pompa muros subit :

Servi famulæque per urbem
Se gaudent humeris secum gestare labores....
Et quibus ornatus ad tam sollemnia festa
Defuit, hos cultus vestisque precaria texit.
Per fora, per vicos celebrant certamina cunctis
Publica....
Occurrunt lyrici modulantes carminis odas ;
Occurrunt mimi dulci resonante viella ;
Instrumenta sonant : non sistrum defuit illic,
Tympana, psalterium, citharæ, symphonia dulcis,
Dulce melos Regi concordi voce *canentes*...

et ultimum illud quod medii ævi scholasticum redolet :

> Tunc labor et studium logicorum, lisque quiescit ;
> Cessat Aristoteles, nec Plato problemata ponit.

Talibus utinam Nicolaus argumenti sui tristitiam sæpius exhilarasset !

Abundant apud illum solita hoc tempore vitia, sive barbare dictis sermo adulteretur [1], seu metricæ leges et syllabarum discrimina perturbentur [2], seu denique paromœis [3] exsultet. Ex his universis audeam concludere non Galtero forsan cedere Nicolaum inveniendi facultate, at cum Iscano haudquaquam judicii sanitate, aut recto ornamentorum usu, aut latinitatis integritate posse conferri.

[1] Arturum *prætitulatum* Excedens, v. 521 ; perpenetrare, v. 1168.

quem vellet mundus sibi *prædominari*, v. 766.
jubar *exhebetare* pyropi, v. 100.

Falcantur segetes, v. 706. confusam *divitet ylem*, 1226.
Frater et a furiis fraternis se *phariseat*, v. 110, etc., etc...

[2] Imperioque *pa*ret *pa*ruit que.... V. 404.
Jam pater egred*ere*, furiis v. 727.
C*a*seus et lac sunt, v. 562.
Aurum *re*coquitur, v. 794.
Fama perennis *erit* aliorum, v. 505, pugnand*o* parati v. 1135, etc.... etc...

[3] *Parca* minatur ;
Parca per antiphrasim, nunc incipe *parcere*, *parca*,
Parce, nec ætatis florentia stamina rumpe... V. 1076.

§ V. *Guntherus.*

Vere poetam et tantum non præcipuum latinos inter hujus sæculi carminum auctores merito Guntherum habemus. Is non e remotissimis temporibus argumentum heroici carminis traxit, non fictis et commenticiis vera temeravit. Contra ad præsens tempus intentus, inter vivos florentes que rerum actores versatus, sibi laudes præcipue nobilissimi principis, Frederici imperatoris, canendas proposuit. Justis vero finibus materiam circumscripsit suam, ne multitudine rerum, si latius evagaretur , impedita vis ingenii oppressaque jaceret. Ergo in tanta varietate tractanda unice sumpsit bella ductu auspicioque imperatoris, vix regnum ineuntis, adversus Italas civitates gesta, et geminam in primis Mediolani obsidionem. Operi titulus inscribitur *Ligurinus* [1].

Panduntur præclara et vere heroico carmine digna, seu domi, seu militiæ spectacula, conci-

[1] V. Ligurini *de Gestis Imp. Cæs. Fred. I*[i] *libri X.* Dümbge, Heidelbergæ, 1812, in-8.

lia nempe procerum de rebus publicis disputantium et principem inter se cooptantium, frequentes populorum novi Cæsaris salutandi gratia conventus; ingens belli moles, et bellico apparatu toties superata juga et emensæ Alpium fauces; gentes moribus inter se contrariæ, et congressus cum meridie septentrio; Germaniæ totius vires in Italiam collatæ; suspensa et erecta inter Imperatoris et summi Pontificis certamina Europa; Italica tellus a finibus Circumpadanis usque ad Palermitanos sinus tot populis tanquam ad decernendum assumpta; hinc infestis armis instructi exercitus et tormenta oppidorum muris admota; illinc pacta cum infidis civitatibus fœdera, male pacatorum animorum fremitus et tumescentes specie pacis inimicitiæ; modo intestini furores, modo publici tumultus; insuper his princeps, omni Cæsarum majestate subnixus, proceres, regulorum instar superbos, ingenii præstantia aut armorum pondere coercens; denique florens domus imperatoria et filii in subsidium paternæ dominationis adolescentes. Quæ omnia Guntherus[1] is,

[1] Abjicere nomen tanquam subditicium, atque a priore editore Conrad Celte scriptori ignoto per ludum impositum, neutiquam vero repudiare opus nos jubet G. Paris; quiquidem accurata disputatione, haud ita pridem conscripta, doctissimi Jac. Grimm et viri eruditi Kœpke opinioni refragatus, egregium illud Ligu-

cujus vita plane ignoratur, non tanquam extrinsecus allata in poema suum tumultuose congessit, sed velut ipsi argumento inhærentia, composito ordine intra X libros digesta, ornatissime doctissimeque explicuit.

Mira ejus solertia ac diligentia stilus. Quum enim antea historici Otto Freisingensis et Ragevinus res ab ineunte Frederici I[i] principatu usque ad alteram Mediolani expugnationem gestas in corpus annalium suorum redegissent, iis sane auctoribus nititur eorumque vestigiis insistit; sed res tantum insignes et digna relatu facinora obit; cetera, quæ, ut mos historicis est, illi in textum inseruerant, certa fœderum verba, chartas, et omnia ejusmodi instrumenta sciens et volens præterit, opinatus, nec immerito quidem, magis ad scrinia cancellariorum quam ad Musarum munditias ista convenire. Rationem autem suam, alludens Ottoni et Ragevino, optime hisce defendit, I, 125 :

> Qui scripsere prius, cupientes ordine certo
> Historiæ servare fidem, non pauca videntur
> Inseruisse suis (liceat modo dicere), chartis,
> Quæ neque Cæsareos augent vehementer honores,

rini poema patriæ Germaniæ et XII° huic ipsi sæculo restituit. (V. G. Paris, *Diss. crit. sur le poème latin du Ligurinus attribué à Gunther*. Paris, Franck, 1872, in-8.

Nec contexta rei, sed tanquam adsuta cohærent.
At nos, si quid erit pulchrum minus eximiumque,
Vel quod ad egregios non multum Cæsaris actus
Pertineat, veri nihil adjectura decoris,
Sponte relinquentes, tantum potiora secuti,
De multis modicam nitemur condere summam,
Claudendumque manu, forma leviore, libellum
Ad demulcendas conflare legentibus aures...

Tenes Horatii placitum, fusius et prolixius, eleganter tamen et jucunde expressum

quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Modeste poeta orditur, et imprudentiam ipse suam, quod laudandi tanti principis oneri impar accesserit, haud inficete coarguit ; at vocem ne ultra vires intendat sedulo cavet, I, 34 :

Certa quidem vatis dementia, carmen agreste
De tanto cecinisse viro ; sed parce furori,
Princeps magne, pio, nec te *præsumptio* nostra
Exagitet : solis licet insanire poetis....
Utque suo volucres cœlum modulamine mulcent,
Sic fruticosa leves quatiunt arbusta cicadæ...

Exeunte libro X°, diuturni tanquam stipendii finem efflagitat, seque pollicetur arma suscepturum ubi vires sibi novas suffecerit. Interea poemati valedicens plurima monet, præsertim ut tempus propitium speculatus aulam ingrediatur, nec se immodice ferat, contra benevolentiam captet omnium, et judicio doctorum

commendatus, in manus regiorum adolescentium tandem pervenire mereatur. Mixtum aliquid Papinii elegantia et salibus Flacci his versibus inest, X, 604 :

Interea tacitus de se quid judicet aula
Audiat, et doctos, quorum tutandus amore
Atque fovendus erit, noster Ligurinus adoret.
Nec frontem duxisse velit, licet unus et alter
Arguat et meritum naso *subsannet* adunco....
Hoc tamen in cœtu non deerit forsitan unus,
Vel duo, vel plures qui te , Ligurine, legendum
Esse putent, lectoque semel rursusque relecto
Plus faveant, tandem seras ad Principis aures
Nomen et auctorem, quæ rerum insignia portes,
Quidve petas, perferre velint, et amica loquantur...
Sic ubi conspicua tandem novus hospes in aula
Constiteris, claroque piam cum Principe prolem,
Ceu totidem soles nitido cum sole, videbis,
Hæc tibi non stulte proferri posse videntur :
« Gaudeat ista domus, qua gaudet præside mundus,
Gaudeat augusto felix cum patre propago,
Gaudeat et nostrum jubeat gaudere parentem,
Neve suum vatem patiatur littus arasse,
Vanaque deceptis fregisse novalia sulcis,
Vel tot in officio vigilatis noctibus isto
Conseruisse leves, quas texit aranea, telas... »

Rerum autem gestarum seriem summa gravitate, eximia stili facilitate ab ipso regni initio percurrit. Narrat post imperatoris obitum Chunradi, proceres Francofurtum convenisse, ut successorem defuncti principis liberis suffragiis cooptarent. Considunt primarii hinc ecclesiastici, illinc viri militares, consiliumque de summis Teutonici imperii rebus agitant. Egregie

depinguntur apud poetam distracti in varias partes arbitri, uniuscujusque mores ac titulos diversis rumoribus ponderantes, conantesque ut omni relegato ambitu dignissimum imperatorio diademate virum suffragiis suis comprobent.

Consurgit inter disceptantes unus, singulari apud socios gratia atque auctoritate fretus, admonetque quanto ipsi officio fungantur, quanta religione debeant eligere virum cervicibus omnium imponendum, I, 242:

« In manibus vestris regnum est...
Ex quo Romanum, nostra virtute redemptum,
Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo
Transtulit imperium, Romani gloria regni
Nos penes est; quemcumque sibi Germania regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, et verso Tiberim regit ordine Rhenus... »

Tum laudata Frederici virtute, animi firmitate, prudentia, ingenio pacis militiæque simul artibus exercitato, hæc magna sentiendi dignitate subjungit, I, 294:

« Hæc sunt, o proceres, hæc sunt quæ regna tueri
Ac munire solent, his artibus infima crescunt,
Maxima servantur ; ni fallimur, artibus istis
Seque suosque reget : neque enim quas hactenus ultro
Et gratis coluit, sumpta mercede relinquet.
Nam quod summa probos mutare potentia mores
Dicitur, ex alia sumptum magis æstimo causa.
Si quis forte, sibi perversæ conscius artis
Ingeniique mali, tacitus captator honoris
Tempore dissimulat, quum, quod cupiebat adeptus,

In vitium moresque redit, mutasse videntur
Immeritique hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit et inquinat usu.
At cuicumque bonum et nullo violabile casu
Ingenium natura dedit, si lætus honorem
Forte tulit quo dignus erat, tunc, tempore rapto,
Illa latens probitas læto pubescere fructu
Incipit, et sese virtutum germina produnt... »

Non possum ego Guntherum dimittere quin ab ejus poemate locum etiam excerpam, quo felicissime Normannorum impetum depinxit, Siciliam Neapolimque ductu Rogeri ac Roberti invadentium, et audacia sibi sua regna et principatus quærentium, I, 670:

Ausi sunt tota, spretis natalibus agris,
Demigrare domo, nomen, gentemque, domumque
Optantes peperisse sibi, nec Gallica tantum
Rura, sed abruptas excelsis rupibus Alpes
Festino transire gradu, tandemque per urbes
Italiæ Latiasque domos, quasi debita rura
Appuliam Calabrosque viri petiere penates.
Regia sic volucris primas ut crescere plumas
Artubus et teneros durescere senserit ungues,
Naturæ sectatur iter, jam jamque parentum
Officio contemnit ali, nidoque relicto
Egreditur, parvoque pudet latuisse cubili ;
Mox confisa sibi, securo tuta volatu,
Aut leporem venatur agris, aut æthere cycnum
Corripit, et proprios in acuta rupe penates
Ædificat, similesque sibi parat edere fetus.

Jucundum sane est, post affectatam et turgidam Galteri abundantiam, et Nicolai sordidum ac pingue dicendi genus, aut confragosam

etiam nec sine maculis Iscani elegantiam, in hoc purum, et abundans, utque uno verbo omnia dicam, Virgilianum carminis flumen incidere. Operæ profecto pretium sit novisse cujus scholæ spatiis ortus, qua disciplina imbutus ille tam probe scripserit. Vixdum enim retinet aliqua minus felicis ætatis vestigia[1]. Cetera pura et perspicua, tersa ac rotunda feruntur, omnibusque prope numeris absoluta.

Ita nempe ille sermonis castitatem reveretur, ut malit circumlocutione uti quam barbaro vocabulo paginam inquinare, I, 357 :

Huc quoque Virginea, modo dicere fas sit, ab Urbe, [2]
(Nam neque barbaricum recipit mea pagina nomen,
Nec melius dici sine nomine posse videtur)...

Eodem modo per ambages Francofurtum designat, I, 176 :

Sede satis nota, rapido quæ maxima Mogo,
Clara situ, populoque frequens, murisque decora est,
Sed rude nomen habet ; nam Teutonus incola dixit
« Franconefürt » ; nobis liceat sermone latino
Francorum dixisse vadum : quia Carolus illic
Saxonas indomita nimium feritate rebelles

[1] I, 288, *sustollenda*, pro « extollenda » ; I, 261, *juramine sacro*, p. « sacramento » ; I, 365, *mundanis* rebus, p. « humanis » ; I, 362, *exsufflato*, (competitore), p. « amoto » ; X, 644, *magnalia*, p. « miracula » ; Ib. 618, *subsannet*, p. « irrideat »....

[2] Sc. Fravenfelda Helvetiorum (Frauenfeld en Thurgovie).

Oppugnans, rapidi latissima flumina Mogi
Ignoto fregisse vado, mediumque per amnem
Transmisisse suas neglecto ponte cohortes
Creditur : inde locis mansurum nomen inhæsit.

Libet, nec sine admiratione quadam, animadvertere tam novam apud homines medii ævi latinitatis reverentiam. Recessere syllabarum tinnitus, versuum sibi respondentium clausulæ, eæ denique nugæ pueris ludentibus inter se quam severis poetis digniores.

---

§ VI. *Alb. Stadensis.*

At ista rursus apud Albertum Stadensem exuberant. In suo ille *Troïlo*[1] pentametris, ut Iscanus antea hexametris, Daretem interpretatus est, quo stylo, dii boni ! Legat Albertum, si quis velit æstimare quanta sit in Iscano vis inveniendi et eloquendi facultas. Nempe is auctorem sequitur religiose, neque ab ullo ejus vestigio deflectit, et quæ omnes medii ævi scriptores de incorrupta Daretis fide, contra de Homeri mendaciis pronuntiarunt, indefessa loquacitate recantat. Mentitur Homerus, quum Trojanos a Dolone transfuga proditos fuisse

[1] V. Albert. Stad. Lipsiæ 1875. Teubner.

asseverat [1], mentitur quum Rhéso equos fuisse dicit nubigenas, III, 229 :

Crediderim sic dicenti ? qui nube creatos
   A primo mundi tempore vidit equos ?

Plurima tamen de suo Dareti adjungit, salva veridici historici reverentia. Qui enim isti garrulitati sufficere valeat Daretis ariditas? Ergo ornamentis variare nititur sempiternam istam prœliorum recensionem. Verba verbis superveniunt, aquæ perennis instar. Nunc viros inter se colloquentes inducit; nunc in descriptiones locorum et gentium digreditur, Orosium aut quemvis alium secutus, ut monet :

Non meus hic sermo; testatur Orosius ista,
   Cujus habent plenam singula verba fidem.

At moribus informandis præcipuam operam impendit, ut ipse sub fine libri VI (v. 365), monet :

Et fortasse legens sic dicet : « Cur tulit auctor
   In cameram studii Troica bella sibi ? »
Non propter Trojam Trojanum scribere bellum
   Aut cœpit Phrygium sollicitare stilum,
Sed ductus meliore via, compescere pravos
   Et servare Dei vult in amore bonos, etc...

[1] Quod non dicit Homerus, at vero epitomes Iliadis auctor Pindarus Thebanus, quem illis temporibus nemo non pro Homero nominat.

In transcursu notemus aliqua istius modi specimina; sic de amoris vi perniciosa:

> Vir faculas Veneris portans in pyxide cordis
> Non cerebrum somno, nec fovet ora cibo... etc... III, [721.
>
> Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata;
> Femina præcipue quæ prohibentur avet... etc... III, 13.

Sordes linguæ omnes medii ævi scriptoribus usitatæ in istum confluxerunt. Neque hercule! copia doctrinæ is indiget; contra omnes sive bonæ, seu pejoris latinitatis auctores et novit, et magis ad verbum repræsentat quam modeste imitatur, Virgilium, Ovidium, Statium, Horatium, Claudianum, Pindarum Thebanum, Galterum de Insulis, Guntherum; mitto alios. In orationibus viris aut mulieribus commodatis, Heroidum epistolis præsertim usus abususque est. Tanta est multitudo versuum de poetis latinis ab eo sumptorum, ut viri doctiores decepti sint, et Alberti nomini famam olim elegantiæ addiderint, quam non ille sane, sed meruere tot tamque egregii poetæ quorum sermoni suo versus intexuit [1]. Per se rudis et impexus et impolitus est, nec nisi ingenuam

[1] Quos videas licet magna ex parte a Dunger, p. 28, et præsertim a recentiore editore Th. Merzdorf, p. XIII, sq.q. erutos et versibus Alberti appositos.

barbariem ostentat. Audiamus modo illum talia in heroum imaginibus effutientem; sic facies Achillis delineata, II, 71:

Ore venustus erat et pectore magnus Achilles,
   Strenuus et hilaris, dapsilitate libens.
Myrteus in crine, clemens, acerrimus armis,
   Crispus, amorosus, grandia ferre levis.
Dapsilis et prudens Patroclus, etc...
Candidus et magnus, naso quoque Nestor obuncus,
   Dapsilis et sapiens, consiliando sagax...

At Penthesilex descriptio cuncta exsuperat; pauca ex hac farragine excerpamus; IV, 641, sq., q.:

Pulchre calcat equum....
Aurea ferrato calcat calcaria calce....
Nec stat, nec transit plus recto regula nasi;
   Hic, aquila, bello, simia, cede loco [1].
Pirula directo partitur tramite nares;
   Non tumet, aut aliqua deviat illa via....
Et colli, Pario quasi marmore secta, columna
   Scit speculam capitis more levare gruis....
Voce vocat laudem, quia vox imitatur olorem;
   Est tam grus collo quam Philomela sono, etc....

Piget longius progredi, et istas cavillantis ingenii ineptias colligere: conscius enim est ipse sibi magister Albertus se nugari, Minervamque ultro suam irridet, ut, in Memnonis

[1] Id, puto, valet : nec aquilino illa est, nec depresso naso.

descriptione, « pertinax, » adjectivum, refragante metrica isto pacto recipit, II, 113 :

Merionem rufum ponas, sed et impatientem,
Et, quia sit medius, corpore, mente tenax.
Dicere quum volui quam pertinax esset, oriri
Me contra cœpit protinus ira metri.
« Me duce qui toties, inquit, mea signa tulisti,
Quis modo persuasit illa negare tibi ?...
Nostra probabiliter huc usque secutus es arma :
Nunc quasi deficiens ilia ducis iners....
An non pro verbo didicisti sumere verbum,
Ut teneant proprium singula quæque locum ? »
Territus his jaculis cessavi ponere « pertinax », ponens ejus nomine « mente tenax »....

At vero barbarismos aut solœcismos si velis computare, tempus perdas. Florent ibidem homœoteleuta, logodædaliæ, paromœa, et cætera jam magis in hujusce ætatis carminibus prævalentia ornamenta ; sic, III, 57 [1] :

Æneus Æneas cujus caput ænea cassis
Protegit....

et in ipsa poematis inscriptione :

Troilus est Troilus Trojano principe natus,
Et liber est Troilus ob Troica bella vocatus.

Vides eum tam metricæ leges quam grammaticæ eludere. Syllabas, prout libet, vexat mu-

[1] Cf. Th. Merzdorf, p. XII, sq.q.

tatque, longas corripiendo perinde ac breves producendo : nulla autem iis, quæ jam protuli, exempla subnectam : totum quippe volumen sit excutiendum.

Itaque parum intelligere me fateor id quod Th. Merzdorf, p. XIV Præfationis suæ de Alberto pronuntiat ; « Quamvis magnum, ait ille, inter antiquorum et Alberti versus discrimen exstet, poetis tamen ceteris istius ætatis, ut Iscano, Galtero, etc. non cedit ; et quod illi elegantiores versus condere videntur, fastosis et sesquipedalibus verbis maxime tribuendum est, a quibus Albertus abhorret, qui plano, interdum nimis plano, sermone utitur ».

Nego equidem ullo pacto Albertum, optimum sane virum ac monachum, at pessimum versuum conditorem, cum Galtero et Iscano æquum esse comparari. Valent enim illi poetæ per se ipsos aliquid : nihil Albertus, centonibus sublatis, valet.

Benedictus Mauranus.

Nihil simile judicandum de poeta quem inter ceteros Trojani argumenti opifices, quasi quoddam sidus maximum inter minores stellas prælucere, nemine adversante dixerim : loquor de Benedicto Maurano, cujus supra carmen in transcursu attigi, duabus vero de causis submovendum censui, primum, quod Gallice is scriptitavit, ideoque extra eos quos mihimet ipse proposui fines jacebat, veritus deinde ne laudes Iscani prægravaret eminentior Benedicti virtus. Benedictum quippe habemus non timidum hunc et brevem sicci compendii interpretem, cui satis fuerit elegantiore quodam habitu inventa Daretis exsanguia vestire, sed poetam illum, qui, per triginta millia versuum, memorabilia notissimi belli facinora retulerit. Exhibet enim eam, quæ cunctis prope in eadem materia defuerat, ubertatem excogitandi, morum sinceritatem, rerum varietatem. Voluit esse narrator ab omni parte veridicus fabulosæ historiæ: laudem, quam non tantopere concupiverat, inventoris haud temnendi est assecutus, in hoc vel

maxime laudandus quod non obscuram reconditamque vetustatem illustrandam unice suscepit, sed, in obtutu temporis præsentis defixus, ingenuam ac fidelem æqualium suorum imaginem sub nominibus et factis antiquis adumbravit: quod inscius ipse nec ulla ex industria fecit. Inde ille quo admodum in eo delectamur sincerus dicendi color: sua ipsi ingenuitas fidem apud lectores præstruit. Veteres autem et propiores Homero viros non aliter animo sibi fingere potuit atque sub oculis æquales suos videbat, Homero tamen comparabilis interdum, quatenus assimilari queant Homerici et XII[i] post Christum sæculi mores.

Benedicti vero poema si cum Iscani carmine conferamus, animadvertere liceat quam toto genere tractandi discrepent argumento quamvis persimilia opera. Namque in manus ille sumpsit Daretem, non quem serviliter interpretaretur, sed qui tenui filo iter per decem annorum acta regeret. Inde cepit procedendi initium: at propriam ubertatem istius sterilitati subdidit. Quamvis enim magnam Daretis historici observantiam præ se ferat, intelligit se posse liberius cum tali auctore agere, nec non inventa sibi sua gratulatur, et gloriatur aliqua de se promere. Prælongus autem Benedictus,

et in eadem sæpe revolvitur, nescit inutilia ac fastidiosa stringere : at vividæ sunt et perspicuæ in eo narrationes, nec abest interdum exili isto et confragoso, et quasi curtato dicendi genere, juvenile quiddam et robustum.

Verumenimvero inventione præsertim superat Benedictus Iscanum : novit quippe ille materiam industria sua renovare, atque inter narrandum mores describere, et, ab acie digressus, dulciores affectus tumultui armorum immiscere. Hac fecunditate omnino caret Iscanus, qui etiam plurima omisit quæ, a Darete vix indicata, latissime explicuit Benedictus, sive illa inter viros XII[1] sæculi usitata comitatis elegantioris forma *(la courtoisie)* trucem istam morum antiquorum feritatem non injucunde temperet, seu incredibiles illos animorum motus circa Briseidam, variam ac mutabilem puellam, suscitet, aut castam verecundamque regiæ virginis Polyxenæ faciem adumbret.

Quum tamen eodem ferme tempore separatim et pro se uterque materiam eamdem e visceribus veterum fabularum hauserint, quæstio oritur quam eludere omnino nequeo, numquid alter sit ab altero mutuatus, an potius, quum sine ulla controversia, ditior sit Josepho Mau-

ranus, Benedicto aliquid debuerit Iscanus. Quod ad Benedictum attinet, colligit idoneis sane ex argumentis d. Joly[1] anno circiter 1175 in vulgus editum fuisse poema dictum « le Roman de Troie », contra Iscanum Bello Trojano non multo ante annum 1187 debuisse summam imponere manum. Id præterea Joly contendit favorem poemati Benedicti conciliatum causæ procul dubio Iscano fuisse cur ipse suum inchoaret; neque infitias ego iverim, modo (quod vir doctus nimis perspicaciter, credo, conjecit,) non inde concludatur ullam sibi cum Benedicto æmulationem proposuisse Iscanum. Nam si diligenter opus scruteris, ne unum quidem prodibit usquam imitationis indicium. Jam diversissimum in utroque propositum : scribit Josephus scholasticis et raræ studiosorum cohorti, antiquitati faventium, contra regi Henrico et Alienoræ reginæ, et aulicis Benedictus; ille elegans aliquod et poeticum Belli Trojani breviarium componit, sed gravitatem retinet historici ad docendum scribentis; quin velut divino eum intus spiritu flagrare dicas, ut qui mox ab armis Trojano-

[1] V. Joly, *Ben. de S. More et le R. de Troie*, Préf. p. 72.

rum profanis ad arma Crucigerorum celebranda prosiliat :

> Tuque oro, tuo da, maxime, vati
> Ire iter inceptum, Trojamque aperire jacentem...
> Te sacræ assument acies divinaque bella,
> Tum dignum majore tuba... ;

alter inventioni vela ministrat, nihil non ingenii sui temeritati permittit quod sit ad oblectandas aures idoneum ; libere enim jocatur ac ludit :

> Ceste estoire n'est pas usée,
> N'en gaires leus non est trovée,
> Jà retraite ne fut unquore ;
> Mès Beneeiz de Seinte More
> L'a conservé, et fait, et dit,
> Et o sa main les mos escrit,
> Et si tailliez et si curez,
> Et si assis et si posez
> Que plus ne moins n'i a mestier... etc... [1]

Ambo, Daretem in majore operis parte secuti, Daretem in fine cum Dictye absolvunt : at idem Albertus Stadensis L post annis fecit : tamen et Iscanum simul et Mauranum ignoravit Albertus. Ceterum nihil nec in moribus exprimendis, nec in narrationibus, nec in descriptionibus locorum simile. Totus in antiquita-

[1] *R. de Tr.* V. 121, sq.q.

tem versus Iscanus, contra vel nimium tempori suo obsequitur Benedictus. Quum itaque nec verbis, nec sententiis inter se comparari queant, quomodo concludas Iscanum Benedicti imitatorem exstitisse non dispicio.

Ad Iscanum revertor; cujus poema postquam enarravi et dicendi genus exposui, operæ mihi pretium videtur anquirere qua existimatione apud eruditos viros usque ad hanc nostram ætatem viguerit, quo tandem loco jam deceat illum collocari. Sic totam, ut opinor, de Iscano disputationem explevero.

CAPUT VII

DE ISCANI QUID DOCTI JUDICARINT, QUID JUDICARE NOS DIGNUM SIT.

Constat ex eo ipso quod nihil fere satis exploratum de vita aut morte Iscani proferri possit, quanta in obscuritate degerit; neque sane ultra ejus monasterii claustra fama ejus, si quam est adeptus, evagata est, nec multum ipsi videtur superfuisse, siquidem nemo ejus nomen per tria quæ sequuntur sæcula pronuntiavit. Eum tamen non omnino litteratorum oculos animosque effugisse vel hoc docet quod tres eodem tempore Lelandus exaratos Belli Trojani codices nactus sit, quum in Thornegana, tum in Magdaleniaca et Victoriana bibliothecis. At non hercule! longa mora interfuisset donec Bellum Trojanum eadem fortuna usa esset atque Antiocheis, ni Lelandus obviam iret. Ille vero non

poema modo vindicavit a blattis et murium dentibus, sed resurgenti ac denuo in lucem suscitato poetæ valde ipse opitulatus est : iis enim Iscanum laudibus extollit ut videatur manifesto voluisse diuturnam illius solitudinem fervida vi admirationis consolari. Vocat eum « poetarum suo sæculo delicium et facile principem »; placet Belli Antiocheni ordinem et seriem animo delineare, doletque, ut supra vidimus[1], nusquam sibi obviam fuisse carmen « in quod omnes eloquentiæ sane nervos poeta intendisset. » Nec dubitat quin et ipsa juvenilia, « videlicet Epigrammata et Nugæ Amatoriæ », si exstarent, « ingenii felicis acumen » approbandum præstarent. Hoc præcipue in Iscano miratur quod nulla in versibus ejus temporis rubigo impressa inhæreat :

« Hic, inquit, tantæ eloquentiæ, majestatis et eruditionis homo fuit ut nunquam satis admirari possim unde illi in tam barbara et rudi ætate, facundia accreverit usque adeo omnibus numeris tersa, elegans ac rotunda. » Et alibi :

« Josephus,... omnibus numeris elegantissimus, et aureum suo sæculo utriusque eloquentiæ flumen, versus edidit cum antiquitate romana de palma contendentes. Habent hi versus suum genium, victurum quidem illum. Tum præterea, concinnitate quadam apta, elegantia pura, majestate justa, *ita* tersis adblandiuntur auribus *ut* decies repetiti, nisi me vehementer fallit meus affectus, *perplacebunt.* »

[1] Vid. supr. p. 5.

Sequentibus laudandi Iscani velut signum dedit Lelandus; cujus admirationi subscribit Balæus [1]; Balæo autem paucis post annis Pitseus [2] assentitur. Eadem in judicio Camdeni facilitas, nulla temperata reprehensione; egregios poetæ locos in *Britannia* sua aut in *Reliquiis* exscribit, et lumina illa puræ ac nitidæ dictionis inter densas sæculi tenebras effulsisse obstupescit [3]. Dempsterus [4] interea contra Josephum quasi falso creditum Belli Trojani auctorem castra movet, at neutiquam poematis laudes tenuare nititur.

Mox in aciem descendit summa petulantia, torrenti impetu Dresemius, et quasi Iscanum solus e sepulcro extraxerit, in Præfatione ad Lectorem editioni Belli Trojani præposita, gloriatur quod nomen Corn. Nepotis ab opere Iscani prior eraserit, bellumque indicit ei quicumque ingenio poetæ suæ refragetur. Ipse, odiosa styli affectatione, et hellenismis inspergens inauditas verborum sordes, « ferulam hypercriticam » grammaticorum provocat :

[1] Bale, *Script. Brit. Cent. Tertia*, p. 252.
[2] Pits, *de Script. Angl.*, p. 275.
[3] *Remaines... Poems*, p. I. (London 1605).
[4] Dempster, *Appar. ad hist. Scotic.* C. VI, p. 97.

« Jam tum enim aures meas ista personant : orationem illius instar attritæ et decotis togæ proletariam, δοθιῆσι φλεγμαίνουσαν, stribliginem meliori sæculo descobinandam sapere ; verba maculantia, quibus versus conforivit, Nævii tolutiloquentiam sonticam, in re latinitatis intestabilem, Minervamque rancidiorem, cui spongia deletili opus, qua phrasis distenditur hydrops, ἔξω περιῤῥαντηρίων arcendam... At paulo aliter judicabunt, quos nec φιλαυτία cæcos, nec carpendi studium strabos reddidit.....

Facile fuit tam emendatum poetam nitidiore stilo commendare; at non satis fecisse se Iscani gloriæ Dresemius judicasset, nisi ficticios ejus adversarios magna vi conviciorum urgeret. Mox paulo magis linguæ temperans hæc de scriptore suo præmonet :

« Vixit porro sæculo quo bonæ artes et linguæ adverso amne nitebantur, imo quo litteras scire barbaries erat... Quid ergo mirum si quid de sæculo trahit, si non omnia Augusteo candore perfundere potuit ? imo mirum quod supra sæculum aliquid præstitit quod cum Gunthero (quo ipso tamen venustior et comptior est) instar Geminorum in illunem barbariei noctem prospexit... Denique non dico omnia optima, sed meliora quam pessima ; multa egregie, multa concinne, suaviter, ornate dixit, quæ a nullo melius dici possunt... »

Probabilioris notæ dixeris eruditionem Dresemii quam sales : namque optime de Iscano meritus est, versus ejus plurimis et doctissimis notis consequendo, et multa ex latinis poetis exempla conferendo, et studiose singulis locis animadvertendo, prout res ferat, quando ad classicum eloquendi morem sese composuerit Iscanus,

quoties autem et quomodo ad nova usurpanda deflexerit. Nihil itaque Dresemii commentariis præstabilius est, si quis velit propius linguam Iscani peculiarem introspicere.

Nihil fere de Iscano inveniendum reliquerat Dresemius nec J. Moro, editori Londiniensi, nec apud nos A. Daceriæ. At honestam apud indigenas rei litterariæ scriptores sedem obtinuit poeta. Superiore sæculo diligens pro tempore veteris poeseos exactor Warton « illum percallere omnia elocutionis poeticæ artificia profitetur, neminemque propiorem felicioris latinitatis auctoribus in condendis versibus exstitisse ; et abundare virtutibus, et nihil fere illi defuisse nisi integritatis Virgilianæ sensum ; » tum nitidos nostri locos exscribit et multa laude prosequitur.

Haud multum ab his discedit recentioris judicis, Th. Wright, existimatio ; qui « longe optimum Anglicorum in medio ævo poetarum Iscanum » asseverat, notatque « plurima ab eo gravissime et elegantissime dicta esse, rarissime autem occurrere puerilia ista corruptæ dictionis ornamenta, quibus æqualium opera vulgo inspergi atque ex industria decorari soleant ; eum vero contra deterrimos pravi judicii errores optima ea, quam habeat, lati-

15

norum classicorum notitia defendi ». Dolet et ipse Wright, quod post Lelandum omnes ægre tulerunt, nusquam apparere ullum Antiocheni Belli codicem, quum adeo adspirare poetico ingenio videretur refertum tantis et rebus et nominibus argumentum.

Apud Germanos H. Weissenborn tum diligentius recensuit ea quæ de Iscano superiores pronuntiaverant, tum accurate menda et errata nostri coarguit, recte pleraque, sæpe tamen, præsertim in metris, quædam exprobrans multo magis typographis quam Iscano imputanda.

Aliquantum apud nos, ut dixi, offecit Iscano civis nostri Benedicti Maurani fama præstantior. Cui, quum per se haud ægre et operis sui amplitudine, et rerum inventione et narrationum fertilitate prior esset, disertum insuper meritorum suorum adjutorem A. Joly invenire contigit. Ille, dum per longos doctissimæ disquisitionis circuitus laudes Benedicti sui concinit, Josephum vix aliquot pagellarum brevitate fastidiose præterit, utpote qui aliud agendum habeat. At leviter nostrum tanquam imitatorem Benedicti designat, quum contra toto cœlo, ut supra demonstravimus, aberrare a Normanno poeta Anglicum luce sit manifestius.

Mihi videtur æquiore animo fuisse erga Iscanum H. Dunger; quippe « peritum eum latini carminis artificem, satis eruditum in omni fabulosa historia virum, et, quamvis ejus oratio rhetorum sæpius figmentis insignita ac fucata sit, vividum tamen in narrationibus et vehementem esse » profitetur.

Rem autem si quis velit in universum æstimare et breviter judicia doctorum contrahere, multa in Iscano vitia, at eximiæ etiam virtutes reperientur. In præcipuis heroici carminis partibus sane languet: hæret lateri Daretis sui afflxus, quem nec dimittere interdum, nec satis opportune corrigere didicit. Uno ipse eodemque tractu res minimi perinde atque maximi momenti percurrit; claudicat in moribus apt depingendis; nescit, quo nihil quidem est in hoc genere difficilius, ita vitam in personas mente conceptas infundere ut sub oculis legentium ingredi et agere et loqui videantur. Nec se finibus semper argumenti sui continet: contra in vacuas declamationes erumpit, atque in vitia et in errores hominum, tanquam ex cathedra objurgator acerrimus, verba facere gestit.

Stilus tamen eum suus non pessimum probabilis antiquitatis alumnum declarat: sane

in scholasticas formulas aliquando desilit[1] et Claudiani ampullas ultro exaggerat, et omnia insolentia atque enormia sectatur, et dictionem omnimodo suam vexat. At indolem latini sermonis in perpetuitate dicendi saltem reveretur, at vere poeticum nitorem suis versibus addidit, at meram antiquitatem, prout intellectu capit, amplecti nititur, et poetarum suorum sincerus, nemini tamen emancipatus, imitator exsistit. Denique, etsi plurima apud eum dictionis latinæ salubritatem corrumpant, multum abest ut a spurca ista sequentium ætatum rubigine inficiatur.

XIII° enim ferme hoc ineunte sæculo, confecta atque absoluta est ingens, quæ initium jam pridem ceperat, in excolendis ingeniis immutatio. Jam omnes doctrinarum aditus occupat scholastica ratio; jure civili æque et canonico potitur; regnat in theologia. Magis magisque ad clamosas de rebus humanis ac divinis disputationes convertuntur omnium animi; horridis concretus vocabulis sermo latinus argumentantium conviciis corrumpitur; prorsus in

[1] Sic Venus, insultans Minervæ, II, 490 :

At si militiam fingendi fœda facultas
Hanc habitura fuit, saltem discrimen habendum
In quam, quid, quare... Cf. VI, 33, et II, 272, 404.

oblivionem referuntur optima Musarum Latinarum exemplaria. Actum de inventione poetica esset, nisi quasi perfugium aliquod linguam vulgarem nacti essent poetæ. Enimvero Iscano vel id laudis tribuendum, quod ad retinendum apud Anglos latinarum litterarum cultum ipse cum paucis haud minime contulit : quibus si plures reliqua sæculi parte aut sequenti ævo similes exsisterent, non in istas sordes detrusæ ingenuæ artes et antiquæ disciplinæ forent, unde longo post tempore tandem expeditæ, tanquam renasci ac renovari visæ sunt.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisior. in Sorbona.
XVI Kal. Jun., ann. MDCCCLXXVIII :
Facultatis Litterarum in Acad.
Paris. decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis rector,

A. MOURIER.

Versaliis. — Ex typis Cerf et filii, via dicta Duplessis, n° 59.

ERRATA

P. 2, not. 2, *tolle* exscidio, *lege* excidio.
P. 20, l. 14, *toll.* eum, *leg.* cum.
P. 25, l. 16, *toll.* obscuram, *leg.* obscurum.
P. 40, l. 22, *dele* et
ib., l. 23, *toll.* orationem nondum, *leg.* necdum orationem.
P. 41, l. 5, *toll.* augustias, *leg.* angustias.
P. 44, not. 3, l. 11, *disjunge* manu scriptum.
P. 48, l. 4, *dele* erit,
P. 49, l. 16, *toll.* vestium, *leg.* luxuriæ.
P. 50. l. 6, *toll.* quum et terras, *leg.* tum et terras.
P. 53, l. 11, *toll.* irrepsit, *leg.* irrepserat.
ib., id., *toll.* vix uno excepto Greg. Tur., *leg.* licet a Gregorio Turonensi prætermissa.
P. 56, not. 1, *toll.* GALFR., *Monum.*, *leg.* GALFR. MONUM.
P. 57, l. 23, *toll.* de se, *leg.* de suo.
P. 62, l. 17, *toll.* diem, *leg.* dies.
P. 63, l. 22, *post* conscius, *supple* sibi.
P. 64, l. 15, *toll.* hujuscæ, *leg.* hujusce.
P. 75, l. 12, *toll.* cæptum, *leg.* cœptum.
P. 75, l. 23, *toll.* extitisse, *leg.* exstitisse.
P. 81, l. 23, *toll.* possit, *leg.* posset.
P. 84, l. 6, *toll.* Priamus, *leg.* Priamum.
P. 90, l. 22. *toll.* cæperat, *leg.* cœperat.
P. 97, l. 22, *toll.* Panthei, *leg.* Pantho.
ib., l. 9, *toll.* duceret, *leg.* duxerit.
P. 107, l. 28, *toll.* asservare, *leg.* retinere.
P. 108, l. 1, *toll.* superstitionees, *leg.* superstitiones.


P. 109, l. 14, *toll.* insigdias, *leg.* insidias.
P. 112, l. 8, *toll.* minatur, *leg.* miratur.
P. 114, not. 1, l. 6, *toll.* χαροποῦ, *leg.* χαροπὸν.
P. 115, l. 3, *toll.* effetis, *leg.* exhaustis.
P. 122, l. 2, *toll.* legendo, *leg.* legentes.
P. 124, l. 9, *toll.* decalcavere, *leg.* decalvavere.
P. 126, l. 8, *toll.* mœsta, *leg.* mæsta.
P. 131, l. 3, *post* juvat, *supple* eum.
ib. not. 3, l. 5, *toll.* cæpta, *leg.* cœpta,
P. 133 l. 1, *toll.* Protesilas, *leg.* Protesilaus.
ib., not. 2, l. 2, *toll.* Iphiclidæ, *leg.* Iphiclides.
P. 140, not. 1, l. 1, *toll.* JUNG., *leg.* Adde.
P. 144, l. 20, *toll.* Trojarum, *leg.* Trojanorum.
P. 147, l. 17 *toll.* suis, *leg.* ejus.
P. 148, l. 11, *toll.* absque, *leg.* ab.
P. 154, l. 1, *toll.* piccas, *leg.* piceas.
P. 156, not. 1, l. 1, *toll.* JUNG., *leg.* Adde.
P. 159, l. 4, *dele* æquoreus.
ib., l. 5, *dele* littoreus.
ib., l. 8, *dele omnino versum.*
P. 167, l. 11, *toll.* genu, *leg.* gena.
P. 180, l. 9, *post* cadat, *supple* quod.
P. 181, not. 1, l. 3, *toll.* hanimis, *leg.* animis.
P. 184, l. 3, *toll.* Severius, *leg.* severius.
P. 190, l. 2, *toll.* liquoi, *leg.* liquor.
P. 198, l. 3, *toll.* Tisiphonæ, *leg.* Tisiphones.
P. 210, l. 3, *toll.* qui, *leg.* quis.
P. 212, l. 11, *toll.* Penthesilex, *leg.* Penthesileæ.
P. 221, tit. l. 1, *toll.* ISCANI, *leg.* ISCANO.
P. 227, l. 18, *toll.* apt, *leg.* apte.




b89055029243a




29243
29243a


b89055029243a


29243
29243a


89055029243
b89055029243a


29243
29243a


89055029243
b89055029243a